

GERALDUS DE RODESIO DE TARASCONE

Fol. 1 r° (II) Anno Domini M^oCCC^oVIII^o et VI^o ydus maii. Geraldus de Rodesio de Tarascone nunc comorante Appamiis, constitutus in iudicio coram religiosis viris Fratribus Gerardo de Blumaco, priore conventus Fratrum Predicotorum Carcassone et Iohanne de Felgosio eiusdem ordinis, tenentibus locum inquisitoris Carcassone, iuratus ad sancta IIIIor Dei evangelia dicere meram et puram veritatem de facto heresis de se et de aliis vivis et mortuis, dixit et sponte confessus fuit plenius recordatus, et addidit confessioni sue facte coram dicto Fratre Geraldo quod post unum annum vel circa a tempore de quo depositus in dicta depositione sua sunt VI anni vel circa, sicut sibi videtur de tempore, vedit primum in domo Guillelmi de Area de Querio (*En marge : De Querio*) Petrum et Guillemum Auterii hereticos, ubi venit ipse testis ad requisitionem et significationem dicti Guillelmi de Area, qui venit ad ipsum testem et dixit ei quod predicti heretici erant ibi et volebant eum videre

Et ibi locutus fuit cum eis, petendo ab eis quomodo erat ipsis, et audivit dictum Guillelmum Auterii hereticum legentem in quadam libro suo. Et vedit ibi cum eis predictum Guillelmum de Area.

Item vedit Guillelmam matrem dicti Guillelmi de Area et Bernardum et Ramundum fratres ipsi^a Guillelmi et Ermengardim sororem ipsorum, que moratur apud Avellanetum (*En marge : Avellan.*), et quamdam aliam sororem ipsorum cuius nomen ignorat.. Interrogatus si adoravit eos nec^b vedit ab aliis adorari, dixit quod non tunc, nec aliud fecit, sed post modicum spatum temporis recessit de eis et rediit apud Tarasconem.

Item dixit quod vedit in dicta domo Guillelmi de Area Ramundum et Petrum de Querio quorum nomina ignorat, coram dictis hereticis, et vedit tunc quod predicti adoraverunt (*En marge : adoratio*) predictos hereticos inclinando se coram eis et ponendo manus super quandam bancam seu coysshinum, ter dicendo : "Benedicite, boni homines, orate pro me", et dicti heretici respondebant : "Deus sit rogatus".- Interrogatus de tempore, dixit quod sunt VII anni vel circa, id est illo anno quo gentes ibant Romam ad indulgenciam.

Item dixit quod vedit in dicta loco de Querio et domo predicta Petrum de Luzenaco clericum cum predictis hereticis, videlicet Petro Auterii, Guillelmo Auterii, Iacobo Auterii et Pradas Tavernerii. Qui Petrus de Luzenaco portaverat eis quandam librum scriptum in romano inter postibus, in quo erat scriptum de Petro et Paulo, sicut audivit ipse testis

^a. ipsius.-. ^b. vel.

legere dictum Iacobum Auterii hereticum. Et tunc dictus Petrus de Luzenaco adoravit (*En marge : ador.*) dictos hereticos secundum modum predictum, ipso teste videente.-

Interrogatus de tempore, dixit ut supra.

Item dixit quod vidit dictos hereticos apud Taraschonem in in domo Arnaldi Piquerii, et ibi vidit cum eis Bernardum Turnerii et dictum Arnaldum Piquerii et Ermengardim uxorem eius.- Interrogatus de nominibus dictorum hereticorum quos vidit ibi, dixit quod predicti Petrus Auterii et filius eius, et vidit ibi ipse testis quod prenominati adoraverunt predictos hereticos secundum ritum predictum.

Item dixit quod alia vice vidit in predicta domo cum predictis hereticis Ermengardim matrem Poncii Sicredi, que adoravit eos quando voluit recedere, ipso teste vidente, et audivit verba et predicationes oerum.

Item dixit quod vidit Guillelmum Auterii et Pradas Tavernerii in domo Arnaldi de Sos apud Tarasconem, et vidit ibi cum eis Guillelmum Augerii et Alamandam uxorem Artnaldi de Sos, et adoraverunt dictos hereticos secundum modum predictum ipso teste vidente.

Item dixit quod vidit alia vice predictos Petrum et Iacobum Auterii hereticos in domo dicti Arnaldi Piquerii apud Taraschonem, et vidit ibi cum eis et vidit ibi cum eis^a Petrum de Galhaco filium Petri de Galhaco de Taraschone et Blancam uxorem Guillelmi de Rodesio fratris ipsius testis, et Gayam uxorem Ramundi Fabri, na Lorda uxorem Guillelmi Bayardi et dictum Arnaldum Piquerii et uxorem eius de Tarascone et Esclarmundam uxorem Ramundi Auterii de Ax. Et audiverunt verba et predicationes eorum omnes predicti, et adoraverunt predictos hereticos secundum modum predictum, ipso teste vidente.

Item dixit quod alia vice vidit in domo dicti Arnaldi Piquerii na Matheuam Laurencii et Guillelmam uxorem Guillelmi de Caramato, filiam Petri Auterii, de Taraschone, cum Petro et Iacobo Auterii hereticis. – Interrogata si vidit dictas mulieres adorantes dictos hereticos, dixit se non recordari.

Item dixit quod vidit dictos hereticos, videlicet Petrum et Iacobum Auterii in domo Ramundi Lombardi apud Tarasconem, et vidit ibi cum eis Ermengardim Ranada, Ramundam Lombardam uxorem Petri de Galhaco pluries, et Emengardim uxorem Petri de Querio quondam, que adoraverunt dictos hereticos (*En marge* : ador.) secundum modum predictum ipso teste vidente.

Item dixit quod audivit dici (*En marge* : de auditu) a Gaya uxore Ramundi Lombardi et etiam a Petro Auterii heretico quod Mateudis filia Guillelmi Bayardi vidit dictos Petrum et Guillelmum Auterii hereticos in *F° I v°* domo dicti Ramundi Lombardi, et hoc idem audivit dici a Ramundo de Area.

Item dixit quod audivit dici a predictis hereticis, videlicet Petro Auterii, Guillermo eius fratre et Petro Ramundo de Sancto Papulo et Pradas Tavernerii hereticis quod

a. *Suppr.* : et vidit ibi cum eis.-

Guillelmus Bayardi de Taraschone (*En marge* : Contra G^m Bayardi) receptavit eos in domo sua, et steterunt in turri ipsius per aliquos dies. Et ipse Guillelmus Bayardi habebat librum dictorum hereticorum. Et hoc idem audivit dici a Guillermo et Ramundo de Area fratribus.

Interrogatus de tempore in qualibet istarum visionum, dixit ut supra, et de diebus interrogatus, dixit se non recordari, quia per totum illud tempus quasi continue et de die in diem fiebat^a predicta.- Interrogatus de horis, dixit se non recordari, quia aliquando de die, aliquando de nocte, aliquando de mane, aliquando de vespere, aliquando in meridie.

Item dixit quod vidit alia vice in domo Arnaldi Piquerii apud Taraschonem Petrum et Iacobum Auterii hereticos, et vidit ibi cum eis Amelium Augerii et Guillelmum Augerii fratrem eius, et dictum Arnaldum Piquerii et Emengardim uxorem eius, qui prenominati Amelius et, Guillelmus Augerii adoraverunt dictos hereticos secundum modum predictum ipso teste vidente, et erat dies, ut sibi videtur.

Item dixit quod alia vice vidit in domo dicti Arnaldi Piquerii Alissendim uxorem quondam Petri Martini de Tarascone et Gualhardam uxorem quondam Petri de Galhaco, et adoraverunt dictos hereticos secundum modum predictum ipso teste vidente, et audierunt verba et predicationes eorum, et iste mulieres fuerunt recepte et hereticate in fine per dictos hereticos, sicut audivit dici ipse testis a predictis Guillelmo et Ramundo de Area.

Item dixit quod audivit dici a dicto Petro Auterii heretico quod Thomasa, uxor P. de Anhaus (*En marge* : contra Thomas. ux. P. de Anhauso) vidit et visitavit eos in domo Arnaldi Piquerii, et misit eis panem et bladum; et hoc idem audivit dici ipse testis a Guillelmo et Bernardo de Area.

Item dixit quod audivit a Iacobo Auterii et Pradas Tavernerii hereticis quod Rixendis, uxor quondam Petri de Gavarreto et Sibilia eius filia viderunt et visitaverunt eos in domo Ramundi Lombardi, et hoc idem audivit dici a Blanca uxore fratri ipsius testis et a Guillelmo et Ramundo de Area.

Item dixit quod Petrus Corb de Tarascone vidit et visitavit hereticos in domo Ramundi Auterii de Ax, sicut dixit ipsi testi idem Petrus Corb, et hoc idem audivit dici a Petro et Guillelmo Auterii et Petro Ramundi de Sancto Papulo hereticis, et portavit dictus Petrus Corb unam pelissonem dicto Petro Auterii heretico, sicut ipse Petrus Corb dixit ipsi testi. Et ipse testis vidit dictum Petrum Auterii portantem dictam pelissonem, et erat de agnis nigris.

Item dixit quod dictus Petrus Corb dixit ipsi testi quod uxor sua, cuius nomen ignorat, sciebat quod vidisset hereticos, aliud nescit de ea, ut dixit.

Item dixit quod alia vice vidit in domo Guillelmi de Area de Querio Petrum Auterii et Iacobum eius filium et Andream de Pradis hereticos, et cum eis vidit Athonem de la Fornera de Tarascone. Et erant ibi presentes Guillelma mater ipsius Guillelmi de Area est due sorores ipsius Guillelmi quarum una vocatur Emengardis et alia Guillelma. Et dictus

a. fiebant.-

Atho adoravit (*En marge* : adoratio) dictos hereticos secundum modum predictum ipso teste vidente.

Item dixit quod vidit dictos hereticos alia vice in domo Arnaldi Piquerii, et ibi vidit cum eis Bernardum Tornerii et dictum Arnaldum Piquerii et uxorem suam Emengardim nomine. – Interrogatus de nominibus hereticorum, dixit quod predicti Petrus Auterii et Iacobus filius eius. Et vidit ipse testis quod prenominati adoraverunt predictos hereticos secundum morem predictum.

Item dixit quod alia vice vidit in predicta domo cum predictis hereticis Emengardim matrem Poncii Sicredi de Tarascone, que adoravit eos quando voluit recedere, ipso teste vidente, et audivit verba et predicationes eorum.

Item dixit quod vidit Guillelmum Auterii et Pradas Tavernerii in domo Arnaldi de Sos apud Tarasconem, et vidit ibi cum eis Arnaldum Augerii et Alamandam uxorem quondam dicti Arnaldi, et adoraverunt dictos hereticos secundum modum predictum ipso teste vidente.

Item dixit quod vidit alia vice predictos Petrum et Iacobum Auterii hereticos in domo dicti Arnaldi Piquerii apud Tarasconem, et ibi vidit cum eis Petrum de Galhaco filium Petri de Galhaco de Tarascone, Blancam uxorem Guillelmi de Rodesio fratris ipsius testis, et Gayam uxorem Ramundi Fabri, na Lorda uxorem Guillelmi Bayardi de Tarascone.

Item dixit quod Guillelmus de Area dixit ipsi testi quod Blanca, uxor Athonis de *F° 2 r° (III)* la Fornera viderat et visitaverat dictos hereticos, nescit tamen ubi.

Item dixit quod audivit (*En marge* : de auditu) dici a Petro et Guillelmo Auterii hereticis quod Emengardis Bayardi, uxor Petri de Querio, videt et visitavit eos in domo Ramundi Lombardi apud Tarasconem, et adoravit eos et dedit eis de suo, ut dicebant. Et hoc idem audivit dici a Blanca sororia ipsius testis et Gaya sorore ipsius Emengardis.

Item dixit quod vidit alia vice in domo dicti Arnaldi Piquerii apud Tarasconem Petrum et Iacobum Auterii hereticos, et Sebelia uxor Ramundi Sutrani quondam vidit et visitavit eos ibi, et flexis genibus adoravit (*En marge* : ador.) eos secundum modum predictum ipso teste vidente.

Item dixit quod vidit dictum Arnaldum Piquerii cum dictis hereticis in domo Arnaldi de Sos apud Tarasconem.

Item vidit eundem Arnaldum Piquerii cum dictis hereticis in domo Guillelmi de Area apud Querium, et vidit ipsum Arnaldum Piquerii adorantem (*En marge* : ador.) dictos hereticos in predicto loco.

Item dixit quod vidit predictos hereticos, videlicet Petrum et Iacobum Auterii in domo Alamande uxoris dicti Arnaldi de Sos, et dictam Alamandam cum eis, que adoravit dictos hereticos secundum modum predictum ipso teste vidente.

Item dixit quod vidit Guillelmum de Rodesio fratrem ipsius testis cum predictis hereticis, videlicet Petro et Guillelmo Auterii in domo Arnaldi Lombardi apud Tarasconem, quod hospitium tenebat tunc ipse Guillelmus de Rodesio. – Interrogatus de

tempore, dixit ut supra.

Item dixit quod vidit apud Ax in domo de na Sebelia den Balle predictos hereticos, videlicet Guillelmum Auterii, Petrum Ramundi de Sancto Papulo, Pradas Tavernerii et quandam alium hereticum qui vocabatur Poncius den Balle filium dicte Sebelie. Et vidit ibi cum dictis hereticis Guilhamonam amasiam Guillelmi Mathei de Ax, que duxit ipsum testem ad dictos hereticos. Et adoravit eos dicta Guilhamona secundum modum predictum, ipso teste vidente.

Item dixit quod vidit eandem Guilhamonam in domo Ramundi Auterii cum Petro et Iacobo Auterii hereticis, et similiter adoravit eos ipso teste vidente, et fuit loqua ad partem cum dictis hereticis, nescit tamen quid dixit eis. Et nocte sequenti exierunt inde, et nescit quo iverunt.

Item dixit quod alia vice vidit predictos hereticos, videlicet Guillelmum Auterii, P. Ramundi de Sancto Papulo et Pradam Tavernerii in domo de na Sebelia den Balle apud Ax, et vidit ibi cum eis dictam Guilhamonam, que portavit eis pisces recidentes, et tunc dictus Guillelmus Auterii hereticus dedit ipsi testi cirothecas.

Item dixit quod vidit in domo Guillelmi Gombert de Ax P. et Guillelmum Auterii et P. Ramundi de Sancto Papulo, et vidit ibi cum eis Petrum Carot et Galhardam uxorem G. Auterii predicti, et Blancam uxorem Guillelmo de Rodesio fratris ipsius testis, et dictum Guillelmum Gomberti et uxorem eius cuius nomen ignorat, qui omnes predicti adoraverunt predictos hereticos secundum modum predictum,

Item dixit quod vidit alia vice in domo Ramundi Auterii apud Ax Petrum Auterii et Iacobum eius filium hereticos, et vidit ibi cum eis Galhardam uxorem Ramundi Gaufridi et Ramundam uxorem Ramundi Barra et Esclarmondam uxorem Ramundi Auterii, qui audiverunt predicationes dicti Petri Auterii. Non tamen vidit quod adorarent eos, quia ipse testis recessit de dicta domo tunc.

Item dixit quod audivit dici a dicto Petro Auterii et Guillelmo Auterii hereticis quod Bernardus Arqueiatoris de Ax viderat eos pluries in domo de na Sebelia den Balle et in domo Petri Mathei et aliis locis de Ax, et adoraverat eos multociens.

Item dixit quod vidit Arnaldum Benet de Ax (*En marge* : Contra Ar. Beneti) cum dictis hereticis in domo Raimundi Auterii, et erat ibi similiter tunc Arnaldus Auterii filius dicti Petri Auterii, qui adoraverunt dictos hereticos, videlicet Petrum et Iacobum Auterii secundum modum predictum, ipso teste vidente.

Item dixit quod alia vice vidit in domo Petri Mathei de Ax Guillelmum Auterii, Petrum de Sancto Papulo et Pradam Tavernerii hereticos, et vidit ibi cum eis Guillelmum

et F° 2 v° Arnaldum Mathei (*En marge* : Contra Ar. Mathei) et matrem eorum cuius nomen ignorat, et Ramundum de Area de Querio erat ibi tunc cum ipso teste. Qui omnes audiverunt verba et predicationes dictorum hereticorum, non tamen vidit quod adorarent eos tunc.

Item dixit quod vidit in domo Ramundi Auterii Alazaicim uxorem Petri Auterii et Montanham filiam suam, uxoremque Iohannis Laurencii, et Guilhamonam predictam cum predictis Petro et Iacobo Auterii hereticis. Et audiverunt verba et predicationes ipsorum hereticorum, et postea adoraverunt (*En marge* : ador.) eos secundum modum predictum, ipso testeidente.

Item dixit quod vidit alia vice in domo predicti Ramundi Auterii Petrum et Iacobum Auterii hereticos, et cum eis vidit Arnaldum et Iohannem filios dicti Petri Auterii, qui aportaverunt eis pices de quo fuerunt pransi. Et tunc ipse testis exivit dictam domum, dimissis ibi omnibus supradictis.

Item dixit quod alia vice vidit predictum Arnaldum Auterii in domo Arnaldi Piquerii apud Tarasconem cum hereticis supra proxime nominatis, qui portavit dictis hereticis VIII tructas salpresas.

Itemn dixit quod Guillelmus Carot de Ax dixit eidem testi quod ipse viderat Petrum, Guillelmum et Iacobum Auterii hereticos.

Item dixit quod audivit dici a Petro, Guillelmo et Iacobo Auterii quod Ramundus Valssera de Ax viderat eos et sciebat factum eorum.

Item dixit quod alia vice, videlicet in crastinum quo viderat Petrum de Luzenaco cum dictis hereticis apud Querium, vidit eundem Petrum in domo Arnaldi Piquerii apud Tarasconem cum predictis hereticis, vicelicit Petro et Iacobo Auterii, qui Petrus de Luzenaco adoravit tunc hereticos supradictos secundum modum predictum, ipso testeidente.

Item dixit quod vidit Guillelmum Auterii hereticum predictum apud Luzenacum (*En marge* : Luzenac) in domo Guillelmi de Luzenaco, qui hereticus stabat in quodam sotulo obscuro ipsius domus. Et erant ibi cum dictis hereticis dictus Guillelmus de Luzenaco, Ramunda mater eius et catalana amasia dicti Guillelmi de Luzenaco. Et tunc fuit fuit^a pransus ipse testis cum predictis, excepto dicto heretico qui non comedit. Et comedenterunt panem et caseum et lac et vinum quod non erat bonum, ymmo erat acetosum.

Item dixit quod audivit dici a predictis Petro, Guillelmo et Iacobo hereticis quod Petrus Amelii et Ramundus de Ponte de Merenx viderunt eos in domo Ramundi Auterii apud Ax, et portaverunt et dederunt denarios dictis hereticis, nescit tamen ipse testis quot.

a. *Suppr.* : fuit.-

Item dixit quod audivit dici a Petro Auterii heretico quod dominus Philippus de Planissolis, miles de Causone (*En marge* : Causon.), recepit eos in domo sua apud Causonem, et hoc idem audivit dici a Guillelmo de Area.

Item dixit quod audivit dici a Iacobo Auterii heretico quod Bernardus de Ugenaco et Guillelmus eius filius viderunt et visitaverunt dictum Iacobum et Petrum Auterii patrem suum hereticos in domo Petri Martini de Ugenaco, et adoraverunt eos, et erant magni amici eorum. Et hoc idem audivit ab Arnaldo filio dicti Petri Martini.

Item dixit quod quadam die martis in sero venit ad ipsum testem quidam filius minor dicti Petri Martini, qui, ut sibi videtur, vocatur Arnaldus^a, et petivit ab ipso teste ubi erant dicti boni christiani, qui respondit quod erant in domo Arnaldi Piquerii. Et tunc ambo iverunt Illuc, et predictus Arnaldus portabat unum restum piscium quod presentavit dictis hereticis. Incontinenti flexens genua coram ipsis adoravit eos secundum modum predictum ipso teste vidente. Et illa nocte remansit ibi cum hereticis, et ipse testis rediit ad domum suam. Et in crastinum de profunda nocte predictus Arnaldus^a recessit cum predictis hereticis, videlicet Petro et Iacobo Auterii.

Item dixit quod audivit dici a Petro Auterii quod Petrus Gratus qui moratur cum Bernardo de Ugenaco viderateos in domo Arnaldi Piquerii.

Item dixit quod quadam die cum predicti heretici stetissent absentes bene per VIII dies a Querio et a partibus illis, Ramundus de Area significavit ipsi testi quod venerant ad domum suam apud Querium. Et in crastinum ipse testis ivit ad eos et invenit Petrum et Iacobum Auterii et Pradam Tavernerii. Et cum ipse testis peteret ab ipsis ubi steterant, ipsi responderunt quod in illis partibus apud Saltum, et fuerunt *a Pradas* in hospicio Bernardi Tavernerii (*En marge* : Contra Bernardum Tavernerii de Pradis) et apud Montem Alionem in hospicio dels Belot, qui sunt tres fratres quorum unus vocatur Bernardus, nomine aliorum ignorat, ut dixit. Et apud Pradas in hospicio dicti Bernardi Tavernerii visitaverunt dictos hereticos Bernardus Beloti et Guillelmus Benet et Bernardus Fabri, sicut audivit ipse testis dici a dictis hereticis.

Item dixit quod apud Ax (*En marge* : Ax) in domo Ramundi Auterii vidi ipse testis cum Petro et Iacobo Auterii hereticis supradictis Guillelmm Hugonis de Savarduno et Astrugam uxorem suam, qui steterunt cum dictis hereticis per magnum spatium temporis et audiverunt verba et predicationes ipsorum, et adoraverunt eos secundum modum predictum, ipso teste vidente.

Item dixit quod Petrus et Iacobus Auterii heretici predicti dixerunt ipsi testi quod Condors, (*En marge* : Condor.) filia quondam domini Assalhitii Baudoyni viderat et visitaverat eos apud Ravatum in domo de na Mathena uxoris Poncii de Puiali quondam.

Item idem dixerunt ipsi testi predicti heretici de Athone de Castro fratre dicte Condors, et hoc idem dixerunt ipsi testi dicta Condors et Blanca sororia ipsius testis et

a. *Corr.*: Bernardus.-

Emengardis Renada et Petrus de Galhaco de Tarascone minor, et etiam dicta Condors narravit ipsi testi de Athone fratre ipsius Condors.

Item dixit quod Guillelmus de Area et Arnaldus Piquerii dixerunt ipsi testi quod Philippus de Larnato (*En marge* : Larnatum) domicellus vidit et visitavit dictos hereticos in hospiciis eorum.

Item hoc idem audivit dici a Petro et Iacobo Auterii hereticis, qui dixerunt ipsi testi quod in domo Arnaldi Eysshaura de Larnato viderat et visitaverat eos dictus Philippus.

Item dixit quod vidit in hospicio dicti Arnaldi Eysshaura de Larnato congregatos quinque hereticos, videlicet Petrum et Guillelum et Iacobum Auterii, Petrum Ramundi de Sancto Papulo et Paradas Tavernerii, qui receperunt tunc duos homines in sectam suam de Albigen. (*En marge* : Albigen.), quorum nomina ignorat ipse testis.

Interrogatus si fuit presens ipse testis dicte receptioni, dixit quod non, quia iam facta erat quando ipse testis venit, et dictus Petrus Auterii hereticus dixit ipsi testi : "Osta, nepos, nimis contraxistis moram, quia si venissetis pro tempore, vidissetis receptionem quam fecimus de istis duobus". Qui testis respondit quod bene voluisset videre.

– Interrogatus de tempore dicte receptionis, dixit quod VI anni possunt esse vel circa.- Interrogatus de personis que fuerunt presentes dicte receptioni seu hereticationi, dixit quod dictus Arnaldus Eysshaura et uxor eius cuius nomen ignorat, Ramundus et Petrus filii eorum et Margarida que habet virum apud Ax qui vocatur Amelius Traginerii, et quedam alia filia dicti Arnaldi Eysshaura cuius nomen ignorat erant in domo predicta quando ipse testis venit, et vidit quod fuerant presentes dicte receptioni. – Interrogatus de nomine dictorum hereticorum de novo receptorum, dixit quod in dicta receptione fuerunt eis nomina mutata, et uni fuit impositum nomen Petrus, et alio Paulus. – Interrogatus de quo panno erant induti, dixit quod ambo erant vestiti supertunicalia de panno *de blau* et tunicas *de verd*.- Interrogatus cuius etatis erant, dixit quod de XXX annis usque XXXV possunt esse.

Item dixit quod quadam vice vidit Ramundum Ros de Appamiis (*En marge* : Appam.) apud Ax in domo Ramundi Auterii qui est hospes suus, qui Ramundus Ros venerat ad balneandum ibi, et erat in tempore pascali. Et tunc erant in dicta domo inferius in cellario Petrus et Iacobus Auterii predicti heretici. Et tunc vidit ipse testis quod antequam pranderent, descenderunt in dictum cellarum dictus Ramundus Ros et Ramundus Auterii cum eo, et ibi steterunt per longum temporis spatium. Et cum rediissent superius ad solarium domus, ipse testis descendit inferius ad cellarum predictum, et invenit ibi dictos hereticos, videlicet Petrum et Iacobum Auterii supradictos inter duas archas. Et tunc ipse testis petivit a dicto Petro Auterii si fuerat ibi Ramundus avunculus ipsius testis, qui respondit sibi quod sic, et quidam alias. Et non processerunt plus in nocte, quia amita ipsius testis, uxor videlicet dicti Ramundi Auterii, supervenit, propter quod credit de certo quod ille alias erat Ramundus Ros predictus.

Interrogatus de tempore in qualibet visione istorum, dixit ut supra.- Interrogatus de diebus, dicebat se non recordari, quia per totum illud tempus quasi continue et de die in diem fiebant predicta.- Interrogatus de horis, dicebat se non recordari, quia aliquando de die, aliquando de nocte, aliquando de mane, aliquando de vespere et in meridie.

Item dixit quod audivit dici a Guilhamona uxore Guillelmi de Caramat de Tarascone, filiaque Petri Auterii heretici, quod Guillelma, uxor Bertrandi Mercerii de Tarascone, fuit hereticata in infirmitate de qua obiit, et quod Philippus de Larnato adduxit

ibi duos hereticos ad hereticandam eam, et intravit et *F° 3 v°* introduxit eos in dictam domum per hostium quod est verssus Verdunum a parte retro. Et hic idem audivit dici a Guillelmo Tronc de Taascone.- Interrogatus de tempore mortis dicte Guillelme, dixit quod hoc anno inter festum Omnim sanctorum et Natalem Domini, quando ipse testis iverat apud Tarasconem ad querendum denarios que debebantur sibi. – Interrogatus de tempore auditus, seu quo fuerunt sibi dicta predicta, dixit quod hoc anno in crastinum Circoncisionis Domini.

Item dixit quod audivit dici a Guillelmo de Area de Querio quod Gualharda, uxor Petri de Galhaco de Tarascone, fuit in infirmitate de qua obiit hereticata in domo sua apud Tarasconem, et quod Petrus de Galhaco filius dicte Gualharde adduxerat dictos hereticos ad hereticandam dictam Gualhardam matrem suam. – Interrogatus de tempore auditus, dixit quod duo anni possunt esse vel circa.- Interrogatus de tempore quo obiit, dixit quod duo anni sunt et amplius.

Item dixit quod audivit dici ab Arnaldo Piquerii de Tarascone quod Alissendis, uxor Petri Martini de Tarascone, fecerat bonum finem, intendens dicere quod fuerat recepta per hereticos in infirmitate de qua obiit apud Ax in domo Ramundi Iaufredi, et etiam ipse testis vidit ipsam Alissendim infirmam tunc in dicta domo. – Interrogatus de tempore quo obiit, dixit quod unus annus est vel circa. – Interrogatus de tempore auditus, dixit quod hoc anno circa festum sancti Antonini.

Item dixit quod audivit dici ab Arnaldo Auterii de Ax quod Bernardus Tornerii de Tarascone fuerat hereticatus apud Lordatum in domo sua in illa infirmitate de qua obiit. – Interrogatus de tempore quo obiit, dixit quod non est adhuc unus annus.- Interrogatus de tempore auditus, dixit quod hoc anno circa festum Omnim sanctorum.

Item dixit quod audivit dici a Guillelmo de Ara de Querio et a Blanca sororia ipsius testis quod Moneta Ranada de Tarascone fuerat hereticata et recepta in fine per hereticos in domo sua apud Tarasconem, - Interrogata de tempore quo obiit, dixit quod sunt IIIIor anni vel circa.

Audivit etiam dici de dicta Moneta quod duo muliere iuvenes fuerunt hereticate in fine in domo dicte Monete et mortue in dicta domo.

Item dixit quod audivit dici a Petro Auterii et Iacobo Auterii hereticis quod Petrus de Area et eius uxor cuius nomen ignorat fuerunt in fine receptos per eos in domo sua apud Tarasconem, et quod Guillelmus de Area nepos eorum adduxerat eos ibi. – Interrogatus de tempore mortis eorum, dixit quod possunt esse VI anni vel circa.

Item dixit quod audivit dici a Guillelmo de Area predicto quod Mabilia, uxor quondam Ramundi den Hugol de Querio, fuerat hereticata in domo sua in infirmitate de qua obiit, de quo sunt V anni vel circa.

Item dixit quod audivit dici a Guillelmo Auterii heretico quod Petrus Mathei de Ax fuit hereticatus in illa infirmitate de qua obiit, de qua sunt VII anni vel circa.

Interrogatus de predictis predicationibus de quibus supra pluries fecit mentionem ipse testis, quid predicabant dicti heretici et quid dicebant, dixit quod loquebantur de beato Petro et Paulo et aliis apostolis, et dicebant multa verba de quibus ipse testis non

recordatur.

Interrogatus de erroribus quos dicebant et asserebant dicti heretici, dixit quod audivit eos loquentes de creatione rerum visibilium, et dicebant quod Deus non fecerat carnem humanam, nec faciebat florere nec granare, ponentes instantiam dicti heretici et dicentes quod si homo poneret granum bladi super lapidem, non nasceretur, set istud provenit ex putredine terre, sicut dicti heretici asserebant.

Item dixit quod audivit eos loquentes de hostia sacrata, quod non est nisi purus panis, et quod si dimitteretur ibi mures comederent. Ergo, dicebant dicti heretici, comederent corpus Christi si illa ostia esset corpus Christi.

Item audivit eos loquentes de baptismo, quod nihil valebat baptismus quod fit cum aqua, set ille baptismus quod ipsi heretici faciunt de Spiritu sancto.

Item audivit eos loquentes de penitencia, dicentes quod presbiteri nec prelati nec religiosi possunt absolvere peccata, sed solum ipsi heretici possunt indulgere peccata. Dicebant enim quod quantumcumque homo sit in magnis peccatis, sive sit usurarius vel in quibuscumque peccatis, incontinenti absque quacumque penitentia et amenda ipsi absolvunt eos.-

Interrogatus quid credebat ipse testis de predictis, dixit quod credebat ita esse sicut dicti heretici dicebant et predicabant.

Item dixit plenius recordatus quod ipse testis adoravit predictos hereticos on diversis locis et diversis vicibus usque ad VII vices

Item dixit quod audivit *F° 4 r° (V)* dici a Petro Auterii heretico quod Guillelmus Tomas notarius de Sos viderat ipsum hereticum apud Querium in domo Guillelmi de Area et in domo Arnaldi Piquerii de Tarascone.

Item dixit quod quadam die que erat dies martis post festum Sancti Michaelis septembbris, venit ad ipsum testem Ramundus de Area, dicens ex parte hereticorum, videlicet Petri et Iacobi Auterii, quod ipsi volebant se mutare et exire de domo Arnaldi Piquerii in qua erant, et quod associaret eos. Et ipse testis respondit quod libenter, et nocte sequenti ipse testis et dictus Ramundus de Area abstraxerunt dictos hereticos et duxerunt et associaverunt eos usque ad pontem de Garano, et quando fuerunt ultra pontem, predicti heretici dixerunt eis quod redirent in bona fortuna. Et cum ipse testis interrogasset eos quo irent, dictus Petrus Auterii respondit quod irent apud Garano. Et cum ipse testis subiungeret ad domum cuius irent, dictus Petrus Auterii respondit : "Ad domum cuiusdam bone domine que est amita nostra", dixit ipsi, "et de parentela vestra" – "Ergo est na Penavayra", dixit ipse testis, et noluit aliud exprimere dictus hereticus. Et sic recesserunt ab eis. Et cum ivissent per aliquot spatium temporis fuit aurora, et respicientes retro, viderunt dictos hereticos introeuntes domum dicte Penavayre, et dictus Ramundus de Area dixit ipsi testi quod bene sciebat quod ibi debebant intrare.

Hoc depositum anno et die predictis coram dictis locum tenentibus in quadam camera domus Fratrum Predicotorum, in presencia et testimonio religiorum virorum Fratrum

Guillelmi de Anhanis, prioris conventus Fratrum Predicatorum Tholose, et vicarii Provincie, Arnaldi Iohannis, prioris monasterii de Pruliano, Dominici subprioris Pruliani, Fratris Germani, prioris conventus Appamiarum, Fratris Sixti, visitatoris dicti conventus, Fratris Bernardi de Villela, Fratris Bertrandi Braci lectoris conventus Appamiarum ordinis Fratrum Predicatorum, nobilis viri domini Petri Arnaldi de Castroverduno militis, senescalci comitatus Fuxi, discreti viri domini Frisci Ricomani, Legum professoris, magistri Iacobi Marquesii, notarii Inquisitionis Tholosane, et mei Petri Radulphi publici auctoritate apostolice officii Inquisitionis notarii, qui predictam confessionem et depositionem recepi et scripsi.

Postque anno quo supra (*En marge* : Infra CXXX. Item CXXXIII^o) in festo sancti Iacobi in iulio Geraldus de Rodesio predictus, gratis veniens non citatus, constitutus in iudicio in domo Fratrum Predicatorum Carcassone coram Fratre Iohanne de Felgosio ordinis Predicatorum, tenentis locum religiosi viri Fratris Gaufridi de Ablusiis predicti ordinis, inquisitoris heretice pravitatis in regno Francie per Sedem apostolicam deputati, iuratus ad sancta Dei evangelia, adiecit confessioni sue plenius recordatus, dicens quod :

Bene sunt septem anni vel circa quod vidit in domo Ramundi Auterii de Ax Arnaldum Andorrani de Ax cum Petro, Guillelmo et Iacobo Auterii heretico filio dicti Petri, et locutus fuit cum eis per magnum spacium temporis. Et postea, ipso teste presente et vidente, adoravit dictos hereticos secundum modum eorum ut supra.

Item dixit quod die lune proxima transacta ante festum sancti Iacobi, ipse testis existens^a ante operatorium suum, Petrus d'Anhaus de Taraschone traxit ipsum testem ad partem et dixit sibi quod Petrus de Galhaco, notarius de Taraschone, duxerat hereticos ad hospicium G. Bochart^b ut viderent et visitarent P. Ramundi nepotem ipsius G., qui tunc infirmabatur in dicta domo, et quod dictus P. de Galhaco introduxerat dictos hereticos per ortum Ramundi Martini qui est contiguus domui dicti Guillelmi B..- Interrogatus ipse testis si P. d'Anhaus diderat sibi quomodo hoc sciebat, respondit ipsi testi dictus Petrus d'Anhaus: "Petant inquisidores ab ipso P. de Galacho quem captum tenent, et ipse dicet eis".

Item dixit quod in domo Arnaldi Piquerii de Taraschone vidit R. Sutra fabrum cum Petro Auterii et Iacobo Auterii hereticis, et adoravit eos ut supra, presente ipso teste.- Interrogatus dixit quod sex anni possunt esse vel circa.

Iuravit et abiuravit omnem heresim et fuit reconsiliatus.

Hoc depositum anno et die et loco predictis, presentibus Fratribus B. Porquerii, Arnaldo Landrici ordinis Fratrum Predicatorum, et me Arnaldo Assaliti notario auctoritate domini Regis et iurato Inquisitionis, qui predictis interfui et ea recipi et scripsi.

a. Corr.: ipso teste existente.- b. Bayard.-

PHILIPPUS DE LARNATO

F° 5 r° (VI) Anno Dominice incarnationis Millesimo tricentesimo octavo, XII° kls iunii, Philippus de Larnato domicellus Appamiensis dyocesis, veniens non citatus, constitutus in iudicio in domo Fratrum Predicotorum Carcassone coram religiosis viris Fratre Geraldo de Blumaco, priore conventus Fratrum Predicotorum dicti loci et Fratre Iohanne de Felgosio eiusdem ordinis et conventus, tenentibus locum religiosi viri Fratris Gaufridi de Ablusiis predicti ordinis, inquisitoris heretice pravitatis in regno Francie auctoritate Apostolica deputati, iuratus ad sancta Dei evangelia super facto heresis de se ut principalis et de aliis vivis et mortuis ut testis plenam et meram dicere veritatem :

Dixit quod VIII° anni possunt esse vel circa quod Poncius^a Arnaldi de Castroverduno multociens fuit loquutus ipsi testi familiariter de facto heresis, inducens eum quod venderet bona sua et recederet cum eo ad partes Lombardie ubi ipse fuerat. Tunc ipse dixit sibi cuiusmodi erant illi homines qui vocantur heretici, et cuiusmodi vitam ducebant. Et comendavit eos sibi, dicens quod ipsi faciebant magna ieunia et abstinentias, et non comedebant carnes, et multas alias commendationes audivit ipse testis, ut dixit, a dicto Poncio Arnaldi de hereticis. Quibus auditis petit idem Poncius Arnaldi ab ipso teste si volebat eos videre, cui ipse testis concessit quod sic, libenter, et condixerunt de die, hora et loco ut convenienter.

Postque post paucos dies, quadam die, nocte circa principium, dictus Poncius Arnaldi adduxit Petrum Auterii et Guillelmum Auterii hereticos, ut dicit ipse testis, et transivit pontem cum eis de Castroverduno, quadam homine cuius nomen ignorat remanente ultra pontem, ipso teste, ut dixit, expectante dictos hereticos iuxta pontem. Et cum venissent ad ipsum, salutaverunt se mutuo, amotis capuciis. Et tunc ipse testis interrogavit dictos hereticos ubi fuerant, et ipsi responderunt quod in partibus Lombardie. Quo auditio interrogavit eos si sciebant ubi erat Petrus Arnaldi de Capulegio, qui fuerat baiulus domini Arnaldi Guillelmi de Lordato, et postea domine Stephanie. Qui responderunt quod in Lombardia dimiserant eum.

- Interrogatus si aliqua alia verba habuit cum hereticis vel habuerunt simul, respondit quod Poncius Arnaldi dixit tunc ipsi testi : "Ecce isti boni homines persequuntur iniuste, cum tamen nullum malum faciant nec dicant, nec menciantur nec iurent. Et post multa verba receperunt comeatum depositis capuciis, et salutantes se recesserunt ab invicem. Interrogatus si scit quo iverunt, dixit quod pontem predictum transiverunt, et ad dictum hominem qui ultra pontem expectabat cum dicto Poncio Arnaldo recesserunt. Nescit tamen, ut dixit, quo iverunt, et ipse testis, ut dixit, rediit apud Boan.

a. Au dessus du mot : m. (mortuus).-

- Interrogatus si adoravit eos vel fecit aliquam conventionem cum eis, dixit quod non.- Interrogatus si audivit predicationem vel monitionem eorum, respondit quod non, nisi

prout supra dixit.- Interrogatus de tempore, dixit ut supra, et videtur sibi quod fuit in quadragesima.

Item dixit quod post predicta per paucos dies, in vigilia Pasche ut sibi videtur, ipse testis cum Athone de Castro de Ravato domicello iverunt ad domum Arnaldi de Issaura de Larnato, et ibi invenerunt Petrum et Guillelmum Auterii hereticos in quadam domo ubi tenetur bladum et vinum, et erat cum eis quidam iuvenis qui, ut credit, erat filius dicti Petri Auterii heretici et vocabatur Iacobus

- Interrogatus si aliqui alii fuerunt ibi cum eis, dixit quod sic, videlicet dictus Arnaldus de Issaura et quidam filius suus qui vocabatur Guillelmus.- Interrogatus quid fecerunt ibi, et si audiverunt predicationes, dixit quod alter dictorum hereticorum tenebat unum librum in manu et legit ibi.- Interrogatus quid legebat, dixit quod loquebatur de quadam visione, aliter non recordatur. Nichil aliud, ut dixit, fecerunt vel dixerunt ibi, nisi quod unus de dictis hereticis dedit dicto Athoni unum capellum lineum, ut sibi videtur. Et sic depositis capuciis receperunt comeatum et recesserunt ab eis. – Interrogatus si dederunt aliquid ipsi testi, dixit se non recordari.

- Interrogatus si sciebat ipse quod dictus Atho sciebat factum hereticorum ante istam visionem, dixit se nescire.- Interrogatus quomodo ipse testis et dictus Atho sciebant quod dicti heretici erant in dicta domo, dixit quod dictus Arnaldus Issaura significavit et dixit eis.- Interrogatus quo iverunt ipse testis et dictus Atho quando de dicto loco recesserunt, dixit quod apud Ursz ad domum Sicardi de Lordato domicelli, et tenuerunt ibi festum Pasche, ut sibi videtur. Et dicti heretici remanserunt in loco predicto.- Interrogatus de personis que erant presentes cum dictis hereticis, dixit quod nullus alias erat ibi, nisi ipse testis et dictus Atho et dictus Arnaldus et Guillelmus eius filius.

Item dixit quod tempore predicto post unum mensem vel circa, quadam nocte cum ipse testis esset apud Boan et iret per villam solus, cum ivissent gentes ville cubitum, obviavit a casu Guillelmo Issaura filio dicti Arnaldi, qui ducebat secum Petrum et Guillelmum Auterii hereticos, et interrogavit eos quo ibant. Qui responderunt quod apud Garano, et ipse testis associavit eos, ut dixit, usque ad dictum locum. Et cum fuerunt ibi invenerunt in introitu ville duos homines, et videbatur sibi quod erant dominus Poncius de Lordato miles et eius filius, qui expectabant adventus dictorum hereticorum. Quos hereticos receperunt humiliter et benigne, et introduxerunt eos in domum *dels Planissolas*. Et statim ipse testis et dictus Guillelmus Issaura redierunt quilibet ad domum suam, videlicet dictus testis apud Boan et dictus Guillelmus apud Larnatum.

- Interrogatus quid fecit vel dixit cum dictis hereticis, eundo et associando eos, vel quid ipsi heretici dixerunt ei, dixit quod interrogabat eos, cum quibus personis habebant familiaritatem, et de quibus confidebant. Et ipsi nullum voluerunt ipsi nominare, sed dixerunt quod omnes amici sui et credentes debebant eis facere reverenciam, dicendo ter : "Benedicite" coram eis.- Interrogatus si ipse fecit tunc dictis hereticis illam reverenciam, dixit quod sic, amoto capucio, inclinando se versus eos, dicendo ter : "Benedicite", et heretici respondebant : "Dominus vos benedicat". – Interrogatus si vidi quod dictus G. fecerit eis dictam reverenciam, dixit quod non.

Item dixit quod tempore predicto per duos vel tres menses, ut sibi videtur, quadam nocte de qua non recordatur, dictus testis erat in Taraschone dyocesis Appamiensis, et

dictus Poncii Arnaldi venit ad ipsum testem in platea ubi erat cum aliis hominibus, et dixit sibi si volebat ire ad videndum dictos hereticos. Qui interrogavit eum ubi erant, et dictus Poncii respondit quod in Querio, et dictus testis dixit quod libenter, et statim ambo recesserunt de dicto loco et iverunt apud Querium ad domum cuiusdam persone cuius nomen ignorat; tamen bene sciret redire et docere dictam domum, ut credit. Et cum fuerunt ibi, dictus Poncii fecit accendi lumen, et invenerunt et viderunt ibi Petrum et Guillelmm Auterii hereticos, quos cum magna reverencia salutaverunt (*En marge : salut.*). Et dictus Poncii traxit se ad partem cum dictis hereticis et locutus est multum cum eis, et nescit quid dicebant.

- Interrogatus de astantibus, dixit nquod nullam personam aliam vidit ibi, nisi dicgto hereticos, quia profunda nox erat, et omnes erant in lectis suis et dormiebant. Et nichil aliud vidit nec audivit nec fecit cum eis, ut dixit, sed statim ipse et dictus Poncii Arnaldi, recipientes comeatum ab ipsis hereticis amotis capuciis (*En marge : Amotis capuc.*) recesserunt de domo predicta, dictis hereticis remanentibus ibidem.

Item dixit quod sex anni vel circa sunt quod vidit (*En marge : Vis.*) dictos hereticos, videlicet Petrum et Guillelmm Auterii, diversis temporibus bis vel ter in domo dicti Arnaldi Issaura. – Interrogatus qui erant cum dictis hereticis, dixit quod non recordatur, nisi de duobus hominibus qui non erant de terra, quorum nomina ignorat, nec cognoscit eos, ut dixit. – Interrogatus si fecit eis reverentiam, dixit quod non ibi, nisi salutando eos amuto capucio. - Interrogatus si audivit monitiones et predicationem eorum, (*En marge : Pred. Error.*) dixit quod audivit quod legebant in quodam libro et loquebantur de sancto Petro et sancto Paulo, et multa dicebant et legebant in dicto libro de quibus non recordatur.

Item audivit, ut dixit, a dictis hereticis quod erant boni homines et tenebant bonam vitam et habebant meliorem fidem quam nos. Dicebant etiam ipsi testi quomodo poterat ipse credere quod capellanus qui est plenus peccatis posset aliquem absolvere a peccatis suis, dicentes ei quod nullo modo poterat, nec hoc credere debebat.

Item dixit se audivisse a dictis hereticis quod nichil reputabant festa sanctorum, et ipsi bene operarentur, et non crederent male facere.

Interrogatus si audivit ab eis aliquos alias errores, vel ipsos loquentes contra fidem Ecclesie romane, dixit quod non, nisi prout supra deposituit.

Item dixit quod IIIor anni vel circa possunt esse, ut sibi videtur, quod vidit dictos hereticos apud Tarasconem in domo Guillelmi de Rodesio diversis temporibus. – Interrogatus quid fecit vel dixit cum eis, dixit quod nichil, nisi quod loquebatur cum eis sicut homo loquitur cum amicis et notis suis. Et in adventu et recessu amoto capucio salutabat eos.- Interrogatus qui erant ibi presentes, dixit quod Guillelmm de Rodesio predictum et eius uxorem vidit in domo cum dictis hereticis, et nullum alium vidit ibi. - Interrogatus si vidit alibi hereticos et si ... (*Addition moderne : Desunt fol. VII,VIII et IX.*)

RAMUNDUS AUTERII

F° 6 r° (X) Anno Domini M°CCC° octavo et II° idus iunii Ramundus Auterii de Ax Appamiensis dyocesis constitutus in iudicio in camera magistri Iacobi de Poloniaco custodis Muri Carcassone coram religiosis viris Fratre Geraldo de Blumaco priore conventus Fratrum Predicotorum Carcassone et Fratre Iohanne de Felgosio eiusdem ordinis et conventus, tenentibus locum religiosi viri Fratris Gaufridi de Ablusiis predicti ordinis, inquisitoris heretice pravitatis in regno Francie auctoritate Apostolica deputati, iuratus ad sancta Dei evangelia super facto heresis de se ut principalis et de aliis vivis et mortuis ut testis plenam et meram dicere veritatem :

Dixit quod VIII anni sunt, ut sibi videtur, quod Bonus Guillelmus, filius naturalis Petri Auterii, quadam nocte venit ad domum dicti testis apud Ax in quadragesima, dicens ei quod Petrus et Guillelmus Auterii fratres sui veniebant, et volebant scire si reciperet eos. Qu respondit quod sic, quod non poterat eis deficere, quia fratres sui erant. Quo dicto predictus Bonus Guillelmus incontinenti recessit ab eis, et nescit quo ivit.

Postque nocte sequenti circa mediam noctem predicti P. Et G. Auterii et dictus Bonus Guillellmus cum eis venerunt ad domum ipsius testis et pulsaverunt ad ostium, et ipse testis aperuit eis et recepit eos cum gaudio, amplexando et osculando eos. Posuerunt se in quodam lecto donec fuit dies, et posta dictus testis, ut dixit, interrogavit fratres suos ubi steterant et fuerant tanto tempore. Qui responderunt quod in partibus Lumbardie, et quod in Conio fuerant recepti in sectam bonorum hominum, videlicet hereticorum, et quod non timeret de eis. Et promittebant ei facere magnum bonum, et dixerunt ei quod nullo modo revelaret eos, et teneret ipsos secrete.

- Interrogatus si tunc fuerunt diu in dicta domo sua, dixit quod per VIII dies vel circa, comedentes et bibentes de bonis ipsius testis.- Interrogatus quid comedebant, dixit quod ieunabant III diebus in septimana in pane et aqua, et aliis diebus comedebant cibaria quadragesimalia.

- Interrogatus quid fecit vel quid dixit cum eis, vel quid audivit ab eis, dixit quod audivit predicationes et errores eorum. – Interrogatus quid dicebant, dixit quod loquebantur de facto Dei, specialiter de apostolis, videlicet de sancto Paulo et sancto Petro, et quod ipsi tenebant viam et fidem Dei et apostolorum, ita quod non iurabant nec mentiebantur, et quod non comedebant carnes, caseum nec ova, et quod faciebant magnas abstinentias et magna ieunia.

Item dixit quod audivit quod dicti heretici dicebant quod ostia consecrata per capellatum non erat corpus Christi, et quod Deus non poterat dividi nec comedi.

Item dixit quod edocitus per ipsos hereticos tunc in dicta domo adoravit eos flexis genibus ter, dicendo : "Benedicite", et dicti heretici respondebant : "Deus vos benedicat", et hoc dicebant in qualibet adoratione.

Item dixit quod fecit conventionem (*En marge : Conven.*) eis quod si contingenter ipsum infirmari et esse in periculo mortis, quod volebat recipi et consolari ab eis et mori in

fide et secta hereticorum.

- Interrogatus qui erant ibi presentes, dixit quod Esclarmunda uxor sua et ipse testis et nullus alias.

- Interrogatus que persone venerunt ad videndum et visitandum dictos hereticos, dixit quod Bernardus Turnerii de Tarascone (*En marge* : Contra B. Tornerii), Petrus Amelii de Merenchis, G. de Rodesio et Geraldus frater eius.- Interrogatus quid fecerunt dicte persone cum dictis hereticis, dixit se nescire, quia parum fuit presens cum eis, sed audivit quod loquebantur cum ipsis hereticis, et nescit, ut dixit, quid dicebant.

Item dixit quod tempore predicto, quadam die de qua non recordatur, cum ipse testis iret apud Podium Seritanum ducendo mutones ad vendendum, fecit transitum per villam de Merenchis, et invenit ibi predictum Petrum Amelii, qui dixit ei quod predicti heretici fratres ipsius testis erant in domo sua, et quod videret eos, et quod sciret si volebant aliquid sibi dicere vel mandare. Et statim dictus testis ivit ad domum dicti Petri Amelii, et invenit ibi dictos duos hereticos fratres suos (*En marge* : Vi.), quos salutavit, non faciendo eis, ut dixit, aliam reverenciam nisi sicut supra, et dixit eis si volebant aliquid de partibus illis ad quas ibat, videlicet apud Podium Seritanum. Qui heretici dixerunt sibi quod portaret eis de speciebus multis^a, videlicet de pipere et safrano, et aportavit eis, ut sibi videtur, duas uncias inter piperem et safranum, quas dedit eis in domo predicti Petri Amelii apud Merenx.- Interrogatus quas personas vidiit ibi presentes cum dictis hereticis, dixit quod nullum alium vidiit ibi, nisi dictum Petrum Amelii.

F° 6 v° Item dixit quod anno predicto in estate, quadam die de qua non recordatur, cum ipse testis venisset de extra villam de mercaturis suis, invenit in domo sua dictos hereticos, (*En marge* : Re.) quos salutavit et osculatus est eos.- Interrogatus qui erant presentes cum dictis hereticis, dixit quod dicta uxor sua, et nullum alium vidiit ibi.- Interrogatus si fuerunt ibi diu, dixit quod non recordatur si fuerunt duobus vel tribus diebus, et quadam nocte ipse testis ivit cum dictis hereticis (*En marge* : Assoc.) apud Tarasconem ad domum Guillelmi de Rodesio, et dimisit eos ibi cum dicto Guillelmo et uxore sua. – Interrogatus si vidiit aliquas alias personas cum dictis hereticis tunc, dicit quod non, quia statim recessit ab eis.

Item dixit quod III anni vel circa sunt elapsi quod dicti heretici quadam nocte venerunt ad domum ipsius testis et fuerunt ibi duobus vel III diebus (*En marge* : Vi. Re) ut sibi videtur, comedentes et bibentes de bonis suis. – Interrogatus quis adduxit eos, dixit se non recordari.- Interrogatus de personis que viderunt eos ibi, dixit quod ipse et uxor sua et nullus alias quod recordetur.- Interrogatus si adoravit eos vel fecit eis aliquam reverenciam, dixit quod non tunc, sed in adventu et recessu eorum osculatus est eos in ore.

Item dixit quod IIII anni vel circa sunt elapsi, invenit et vidiit in domo sua dictos hereticos (*En marge* : Re.) quadam die de qua non recordatur, et cum eis Iacobum Auterii hereticum, filium Petri Auterii heretici predicti.- Interrogatus quid fecit et dixit cum eis, dixit quod loquebatur familiariter eis, et in adventu et recessu eorum osculatus est eos, et nichil aliud fecit, ut dixit.

Corr.: molitis vel multis .-

Item dixit quod tempore predicto Pradas Tavernerii hereticus venit solus ad domum ipsius testis de nocte, et ibi iacuit una nocte (*En marge* : Re.) et postea recessit. Et credit quod

ivit ad domum Sebelie den Batle. – Interrogatus si adoravit eum vel audivit eius predicationem, dixit quod non.- Interrogatus si aliqua persona vidi eum ibi, dixit quod sic, uxor sua predicta, et ipse testis et nullus alias.

Item dixit quod a VII annis citra vidi et visitavit plures diversis temporibus de nocte Petrum et Guillelmum et Iacobum Auterii et Pradas Tavernerii hereticos predictos apud Ax in domibus Sebelie den Batle et Ramundi Garsendi et Guillelmi Gomberti et Guillelmi Mathei et eius matris, et dixit quod a festo Natalis Domini citra vidi Guillelmum Auterii fratrem suum hereticum apud Ax in domo Sebelie den Batle.-

- Interrogatus quid faciebat cum dictis hereticis vel quid dicebat, dixit quod nichil aliud, sed quod placebat ei quando videbat eos.- Interrogatus si audivit predicationem vel monitionem eorum, dixit quod non, nisi ut supra depositus. – Interrogatus si in dictis locis vel aliquo eorum adoravit eos, dixit quod non, sed in adventu et recessu osculabatur et amplexabatur eos.- Interrogatus quas personas vidi ibi cum hereticis in domibus predictorum, dixit quod nullum alium nisi predictos receptatores et uxores et familiares eorum, quorum nomine, videlicet familie, ignorat.

Item dixit quod VI anni vel circa sunt, ut sibi videtur, cum ipse venisset apud Tarasconem ad nundinas Sancti Michaelis, vidi ibi Guillelmum de Area de Querio, qui dixit ei quod Petrus et Guillelmus Auterii heretici predicti erant apud Querium in domo sua, si volebat ipsos videre. Qui respondit quod sic, et post nundinas quadam nocte ivit apud Querium ad domum dicti Guillelmi de Area, et invenit ibi dictos hereticos (*En marge: Vis.*), quos salutavit et osculatus est eos.- Interrogatus quid fecit vel quid dixit cum eis, dixit quod nichil aliud, sed voluit scire qualiter erat eis, et ipsi interrogaverunt eum si ipse et tota familia sua stabant bene, et statim recessit ab eis, dimittens eos ibi.- Interrogatus qui erant presentes cum dictis hereticis, dixit quod dictus Guillelmus de Area et eius mater cuius nomen ignorat.- Interrogatus si vidi quod adorarent dictos hereticos, dixit quod non.

Item dixit quod V anni vel circa sunt elapsi quod ipse ivit visum dictos fratres suos hereticos apud Tarasconem, quadam die de qua non recordatur, ad domum Arnaldi Piquerii ubi erant. – Interrogatus quid fecit cum eis, dixit quod nichil aliud, nisi quod salutavit eos ipsos osculando et dicendo ut supra. – Interrogatus de personis ibi presentes, dixit quod dictus Arnaldus Piquerii et uxor sua cuius nomen ignorat.- Interrogatus si ipse vel dicti coniuges adoraverunt dictos hereticos, dixit quod non quod ipse viderit.

Item dixit quod tempore proxime dicto, ut sibi videtur de tempore, quadam die de qua dixit se non recordari, cum ipse $F^{\circ} 7 r^{\circ}$ (XI) faceret transitum per Tarasconem, ivit ad domum Petri de Galacho dicti loci ad videndum (*En marge: Vi.*) Guillelmum Auterii fratrem suum hereticum qui erat ibi, et non bene recordatur si Petrus frater suus erat cum ipso.- Interrogatus quid fecit vel dixit ibi, dixit quod nichil aliud, nisi prout supra, osculando eos et petendo unus ab alio qualiter erat eis. – Interrogatus de astantibus, dixit quod dictus P. de Galliacho et Gualarda uxoris eius et ipse testis.- Interrogatus si vidi quod adorarent dictos dictos^a hereticos, dixit quod non.

a. *Suppr.*: dictos.-

Item dixit quod V anni vel circa sunt, ut sibi videtur, cum cum^a ipse testis haberet quandam causam in Curia Carcassone domini Regis, quadam die ipse testis et Guillelmus

de Rodesio de Tarascone fecerunt transitum per Limosum, et iverunt ad domum Martini Francisci dicti loci. Et invenerunt ibi Petrum et Guillelmm Auterii et Amelium de Perlis hereticos, et non recordatur, ut dicit, si erat cum eis Iacobus Auterii hereticus.

- Interrogatus quid fecerunt cum dictis hereticis, vel quid dixerunt eis, dixit quod salutaverunt eos, et in adventu et recessu osculati sunt eos, et petebat unus ab alio si stabant et faciebant bene.- Interrogatus qui erant presentes ibi cum dictis hereticis, dixit quod Martinus et eius uxor, et quoddam mancipium bene abtum qui morabatur cum eo, quorum nomina ignorat. – Interrogatus si vidiit quod facerent aliquam reverenciam dictis hereticis, dixit quod non.

Item dixit quod eodem anno, ut sibi videtur, circa festum Natalis Domini, vidiit apud Limosum in domo Guillelmi Petri Cavaerii dicti loci Petrum et Guillelmum Auterii hereticos, et fuit ibi duobus noctibus.-

- Interrogatus qui erant presentes, dixit quod dictus Guillelmus Petrus et eius frater et mater eius, quorum nomina ignorat. – Interrogatus si adoraverunt dictos hereticos, dixit quod dictus Guillelmus Petri primo, ut sibi videtur, adoravit eos flexis genibus, dicendo "Benedicite" ter, et ipsi respondebant : "Deus vos benedicat", et ipse testis, ut dixit, similiter adoravit dictos hereticos ter, dicendo "Benedicite" ter, dictis hereticis respondentibus ut supra.- Interrogatus qui erant ibi presentes, dixit quod mater dicti Guillelmi Petri et eius frater et quidam sororius suus, ut sibi videtur, quorum nomen ignorat, et dictus Guillelmus Petri et ipse testis.- Interrogatus si comedit unquam de pane a dictis hereticis benedicto, dixit quod sic, pluries, et videtur sibi quod semel comedit ibi cum eis in eadem mensa in domo dicti Guillelmi Petri, ut sibi videtur, alibi non bene recordatur.

Item dixit quod IIIo vel V anni possunt esse, ut sibi videtur, quod Petrus Ramundi de Sancto Papulo hereticus cum quodam puero venit acsi erat mercator apud Ax de magna die ad domum ipsius testis, ad querendum, videndum et sciendum si Petrus et Guillelmus Auterii heretici predicti erant ibi. Et cum non essent tunc, in crastinum de pulcra die recessit, et credit quod ivit versus Limosum, videlicet non scit pro certo. – Interrogatus si ipse testis fecit vel dixit aliiquid cum dicto heretico, dixit quod non aliud, nisi quod recepit eum una nocte et dedit ei ad comedendum et bibendum de suis.

Item dixit quod V anni vel circa sunt elapsi quod Petrus Tinhol de Ax dixit ipsi testi quod Petrus et Guillelmus Auterii heretici predicti erant in domo sua, et tunc ipse ivit ad domum predicti Petri, et vidit^b ibi et locutus est cum dictis hereticis. – Interrogatus quid fecit vel dixit cum eis, dixit quod in adventu et recessu salutavit eos ipsos amplexando et osculando, et querebat qualiter fuerat eis, et si volebant aliiquid quod posset facere cum eis.- Interrogatus qui erant presentes cum dictis hereticis, dixit quod nullam aliam personam vidit ibi, nisi dictum Petrum Tinhol.

Item dixit quod eodem tempore vel circa vidiit dictos hereticos in domo Petri Rosselli de Ax.- Interrogatus qui erant cum eis, dixit quod nullum vidiit ibi nisi dictum Petrum Rosselli.- Ingerrogatus quid fecit ibi, dixit quod nichil aliud nisi prout supra, salutando eos amplexando et osculando.

a. Suppr.: cum.- b. Adde : eos.-

Item dixit quod III anni sunt vel circa sunt elapsi, aliter non bene recordatur de

tempore, quod Ramunda soror sua, uxor quondam Guillelmi de Rodesio de Tarascone, infirmabatur apud Ax in domo ipsius testis ea infirmitate de qua obiit, et vidiit et audivit quod Guillelmus Auterii hereticus predictus frater ipsius testis et dicte Ramunde quadam nocte durante dicta infirmitate circa medium noctem recepit eam in fidem et sectam hereticorum et ipsam hereticavit (*En marge* : Hereticatio).

- Interrogatus de modo receptionis seu hereticationis huiusmodi, dixit quod non fuit in principio, sed postea venit et vidiit et audivit quod dicta infirma te nebat ma nus iunctas inter manus dicti heretici, qui hereticus dicebat dicte infirme si volebat recipi in fide quam ipse tenebat et mori $F^{\circ} 7 v^{\circ}$ in ea, et ipsa respondit quod sic. Et tun c dictus hereticus dixit dicte infirme : "Tu debes parcee omnipni homini, et ego parco tibi et remitto omnia peccata tua ex parte Dei a quo habeo plenariam potestatem".

Interrogatus qui erant ibi presentes, dixit quod Gualarda uxor dicti heretici et quedam ancilla ipsius testis que vocatur Migassola, Esclamunda uxor ipsius testis et ipse testis et dictus hereticus et dicta infirma, et nullos alios vidiit ibi quod recordatur, ut dixit.- Interrogatus si ipse vel alii presentes adoraverunt dictum hereticum, dixit quod non.

Item dixit se audivisse dici a dictis hereticis quod ipsi receperant in fide et secta eorum Bernardum Gomberti et Guillelmum Rosselli de Ax (*En marge* : Hereticationes) et in illa fide seu secta hereticorum mortui sunt.

Item audivit ab ipsis hereticis, ut dixit, quod Ramundus Ros de Ax fuit receptus per eos apud Montem Alionis.

Item audivit a dictis hereticis quod Gentils, uxor quondam Petri d'Asco, mulier d'Asco, fuit recepta et mortua in secta ipsorum hereticorum.

Item audivit a dictis hereticis, ut dixit, quod receperunt in secta et fide sua Bernardum Turnerii et Gualardam uxorem Petri de Galacho et uxorem Arnaldi Piquerii cuius nomen ignorat, de Tarascone, et in illa fide seu secta decesserant.

Item dixit se audivisse dici a fratribus suis hereticis quod pefrsone infrascripte receptabant (*En marge* : Hospicia) eos in domibus et hospiciis suis, e celabant et tenebant eos secrete, videlicet Ramundus Sabaterii de Lordato, na Palaresa, mulier de Luzenac, Arnaldus Issaura de Larnato.

Item audivit ab ipsis hereticis, ut dixit, quod ipsi receptabantur et hospitabantur apud Montem Alionis in domibus Raimundi Babot^a et den Ribas.

Item audivit ab ipsis hereticis quod veniebant et stabant apud Ugenachum in hoスピcio sororiorum Arnaldi Piquerii de Tarascone quorum nomina ignorat.

Item dixit quod Gualarda et Montanha et Marquesia, filie sue, et Arnaldus Auterii nepos suus viderunt pluries in domo ipsius testis predictos hereticos et serviebant eis.

Interrogatus si credidit (*En marge* : Cred.) quod heretici erant boni homines et quod homo posset salvari per eos et in fide eorum seu secta, dixit quod propter multa verba bona que dicebant, et propter abstinentias et ieunia que faciebant, et quia non iurabant nec menciebantur, credidit ipsis esse bonos homines et habere et tenere bonam vitam et bonam fidem, et credebat salvari per eos et in fide eorum. Tamen modo non credit, ut dixit, eth penitet quia unquam credidit erroribus et predicationeibus et monitionibus dictorum

a. Corr.: Belot.-

hereticorum, et de hoc petit misericordiam et veniam, et dixit quod de cetero non credit ipsis hereticis vel fidei seu secta eorum, sed vult credere et credit, ut dixit, fidei catolice

quam Ecclesia romana tenet et predicit, et in ea vult vivere et mori.

Iuravit et abiuravit et fuit reconsiliatus.

Hec depositus anno, die et loco predictis coram predictis locum tenentibus dicti domini inquisitoris, in presentia et testimonio Fratris Poncii de Turrellis, Fratris Petri Ramundi Assaliti ordinis Fratrum Predicatorum conventus Carcassone, domini Petri Radulphi rectoris Ecclesie de Maloleone Appamiensis dyocesis, magistri Iacobi de Poloniaco rectoris Ecclesie de Caunetis Carcassonensis dyocesis, et mei Guillelmi Ramundi canonici Ecclesie Sancti Affrodisii Biterr. auctoritate Sedis apostolice publici officii Inquisitionis notarii, qui predictis interfui, scripsi et recepi.

Postque anno Domini Millesimo CCC^o octavo, videlicet decimo kls novembris, predictus Ramundus Auterii de Ax Appamiensis dyocesis citatus et comparens ac in iudicio constitutus in domo Inquisitionis Carcassone in loco vocato Audiencia coram predicto domino Fratre Gaufrido de Ablusiis ordinis Fratrum Predicatorum, inquisitore heretice pravitatis in regno Francie a Sede apostolica deputato, presentibus me Petri Boerii notario et testibus infrascriptis, fuit eidem Ramundo predicta sua confessio recitata et perfecta de verbo ad verbum intelligibiliter in vulgari, ad cuius declarationem dictus Ramundus, iuratus ad sancta Dei evangelia et interrogatus per dictum dominum inquisitorem quomodo scivit vel sciebat predictos Petrum et Guillelmum esse et fuisse hereticos, dixit quod tunc primo scivit ipsos recessisse de terra propter factum heresim quando vidit et scivit quod gentes Comitis Fuxi occupabant et applicabant sibi bona Peyri et Guillelmi predictorum hereticorum.

Item dixit quod quando predictam confessionem fecit coram dictis locum tenentibus domini inquisitoris predicti, fuerat detenus (*En marge* : Deten.) captus F^o 8 r^o (XII) pro facto heresim tam Fuxi quam Appamiis quam etiam in Muro seu carcere Carcassone per mensem vel circa.

Interrogatus si aliquid aliud vult vel intendit addere, minuere, declarare, corrigere vel mutare circa confessionem suam predictam per quod possit a commissis et confessis per ipsum super facto heresim relevari vel etiam excusari, dixit quod non, sed dixit quod ipsam confessionem, declarationem et alia suprascripta prout scripta sunt et sibi recitata intelligibiliter in vulgari approbat, innovat, ratificat et confirmat tanquam vera et nullam continencia falsitatem, et in ipsis et ipsorum singulis promisit per iuramentum suum perseverare et in nullo contravenire, renuncians ex tunc (*En marge* : Renun.) omni defensioni iuris et facti et omnibus per quod dicta eius confessio posset infrangi, annulari vel in aliquo irritari, et pro omnibus et singulis predictorum supponit se iudicio et misericordie Ecclesie et inquisitoris predicti et successorum suorum in officio memorato.

Interrogatus si confessionem, declarationem, confirmationem, ratificationem, renunciationem, submissionem et alia suprascripta fecit tunc coram locum tenentibus vel facit nunc coram inquisitore predicto propter tormenta, territus minis, inductus prece, precio, timore, favore, odio vel amore seu seductus vel informatus vel etiam subornatus per aliquem, dixit quod non, sed hoc fecit et facit propter exonerationem sue conscientie et salutem anime sue, quia veritas sic se habet in omnibus et singulis predictorum.

Acta fuerunt hoc anno, die et loco predictis coram domino inquisitore, in presencia et testimonio Fratrum Stephani Laurelli prioris, Iohannis de Falgosio, Geraldii de Blumaco,

Guillelmi de Solario, Iohannis Stephani socii dicti domini inquisitoris, Fratrum ordinis Predicorum in convenu Carcassone, domini Petri Radulphi rectoris Ecclesie de Maloleone Appamiensis dyocesis, magistri Iacobi de Poloniacho custodis Muri Carcassone, et rectoris Ecclesie de Caunetis dyocesis Carcassone, et mei Petri Boerii de Carcassona, clerici, publici regia et imperiali auctoritate et Inquisitionis notarii, qui hiis predictis omnibus interfui et ea recepi et scripsi.

Postque anno quo supra, videlicet nono kls novembbris, Ramundus Auterii suprascriptus, vocatus rediens ad presenciam dicti domini inquisitoris, constitutus in iudicio coram ipso in domo Inquisitionis predicta in loco vocato Audiencia in presentia mei Petri Boerii notarii et testium subscriptorum, omnia et singula suprascripta per ipsum confessata et eidem lecta et recitata intelligibiliter in vulgari prout scripta sunt et continentur superius recognovit et confessus fuit esse vera, et nullam continere falsitatem in toto vel in parte, et ea omnia et singula approbavit, ratificavit et confirmavit, et eis dixit se velle stare et perseverare.

Et ad declarationem sue confessionis predicte, dixit quod ubi dicit quod quedam ancilla ipsius testis que vocatur Migassola fuerat presens in hereticatione Ramunde sororis ipsius testis, uxoris quondam Guillelmi de Rodesio, non erat ancilla ipsius qui loquitur, ymmo erat ancilla dicte Ramunde hereticate.

Acta fuerunt hoc anno, die et loco predictis coram prdicto domino inquisitore in presencia et testimonio religiosorum virorum Fratrum Stephani Laurelli prioris, Iohannis de Falgosio, Iohannis Stephani socii dicti domini inquisitoris, Guillelmo de Solario ordinis Fratrum Predicorum in conventu Carcassone, nobilis viri domini Iohannis de Alneto militis, domini Regis senescalci Carcassone et Biterrarum, domini Aymerici de Croso iudicis Saltus, domini Mayoli Robutini militis, domini Regis vicarii Cacassone, domini Frisci Ricomanni Legum professoris, domini Petri Radulphi, rectoris Ecclesie de Maloleone dyocesis Appamiensis, magistrorum Petri Vitalis, Petri Guilla iurisperitorum Carcassone, magistri Iacobi de Poloniacho rectoris Ecclesie de Caunetis, domini Guillelmi Ramundi rectoris Ecclesie de Casilhaco dyocesis Carcassonensis, et mei Petri Boerii de Carcassona predicti, publici regia et imperiali auctoritate et officii Inquisitionis notarii, qui hiis predictis omnibus interfui et ea de mandato dicti^a inquisitoris recepi et scripsi.

a. *Adde* : domino.-

GUILLEMUS DE RODESIO

F° 9 r° (XIII) Anno Domini M° CCC° octavo et idus iunii, Guillelmus de Rodesio de Tarascone Appamiensis dyocesis, adductus captus, constitutus in iudicio in camera magistri Iacobi de Poloniaco custodis Muri de Carcassona coram religiosis viris Fratre Geraldo de Blumaco, priore conventus Fratrum Predicotorum Carcassone et Fratre Iohanne de Felgosio eiusdem ordinis et conventus, tenentibus locum religiosi viri Fratris Gaufridi de Ablusiis predicti ordinis, inquisitoris heretice pravitatis in regno Francie auctoritate apostolica deputati, iuratus ad sancta Dei evangelia super facto heresis de se ut principalis et de aliis vivis et mortuis ut testis plenam et meram dicere veritatem :

Dixit quod X anni sunt vel circa quod Ramundus Auterii de Ax dyocesis Appamiarum dixit ipsi qui loquitur, si Petrus Auterii et Guillelmus Auterii avunculi ipsius testis essent in loco ubi videret eos vel venirent ad eum, noceret eis vel daret ad comedendum. Respondit quod non noceret, ymmo libenter daret ad comedendum. Tunc dictus Ramundus dixit ipsi testi : "Vultis eos videre ?", qui respondit "libenter", et tunc descenderunt ambo in quodam cellario domus dicti Ramundi apud Ax, et ibi invenerunt predictos Petrum et Guillelmm Auterii hereticos dicti loci, quos ipse testis, ut dixit, salutavit et osculatus est eos.

- Interrogatus si aliqua verba audivit ab eis vel quid fecit cum eis, dixit quod multa verba audivit ab eis de secta eorum, inter que, quantum potest recordari, dixerunt quod Deus non faciebat florere nec granare nec fructificare terre nascentia, nec fecerat personam suam, et multa alia audivit ab eis, de quibus non recordatur, ut dixit. Ad que dictus testis respondit, ut dixit, quod non credebat quod de predictis dicerent veritatem. - Interrogatus si dixerunt sibi quis faciebat predicta, dixit quod non curavit, sed dimisit eos et exivit cum dicto Ramundo.- Interrogatus de tempore et loco, dixit ut supra, et dicit quod hoc fuit inter Pascha et Penthecosten. De die interrogatus, dixit se non recordari.- Interrogatus de hora, dixit quod circa vesperas

Item dixit quod quando voluit recedere, ut supra dictum est, ab eis, dictus Petrus Auterii hereticus dixit ipsi testi, si dicti hereticim venirent ad domum suam, si reciperebant eos, qui respondit quod sic, libenter, et quod faceret eis bonum quod posset.

- Interrogatus si comedit vel bibit cum dictis hereticis tunc, dixit quod non.- Interrogatus si adoravit eos vel fecit eis aliquam reverenciam, dixit quod non, nisi quod osculatus est eos sicut predictum est. Sed bene dixerunt sibi dicti heretici, ut dixit, quod debebat eos adorare, tamen ipse testis noluit facere, ut dixit.- Interrogatus si vidit aliquam aliam personam cum dictis hereticis tunc, dixit quod non, nisi Esclarmundam uxorem dicti Ramundi et ipsum Ramundum Auterii.

Item dixit quod post predicta per tres septimanas vel circa, quadam die de qua non recordatur, in puncto aurore, dictus Ramundus adduxit dictos hereticos versus Tarasconem

dicte dyocesis. Et cum fuissent prope pratum dictum den Lumbart, ubi erat quedam borda quam dictus testis tenebat, quia aurora iam incipiebat lucere, remanserunt ibi, non audentes intrare de die Tarasconem. Attamen dictus Ramundus Auterii venit apud Tarasconem ad domum ipsius testis, et nunciavit sibi quod dicti heretici remanserant in dicta borda. Et accepta clave dicte borde ambo iverunt ad dictos hereticos et introduxerunt eos, et ibi remanserunt per totam diem. Predicti vero testis et Ramundus redierunt Tarasconem clausa dicta borda, et circa sextam redeuntes ad eos portaverunt eis cibum.

- Interrogatus quid portaverunt eis ad comedendum, dixit quod panem et vinum et tructas coctas in aqua.- Interrogatus si comederunt vel biberunt cum eis, dixit quod non, sed statim propinato cibo exiverunt, quia mulieres erant in prato evellentes malas erbas, et sic remanserunt dicti heretici in dicta borda *F° 9 v°* usque ad noctem. Qua nocte ante primum sompnum aliquantulum, quando gentes cenaverant et recollegerant se in domibus propriis, ipse testis et dictus Ramundus Auterii redierunt ad dictam bordam ubi dicti heretici latitabant, et adducentes eos (*En marge* : Duxit) introduxerunt Tarasconem in domum ipsius testis in quodam loco sub solario ubi ipse testis tenebat bladum suum. Et ibi ips testis, ut dixit, dedit eis ad comedendum (*En marge* : comederunt) panem et vinum tantum, quia pices non habebat. Et ibi iacuerunt heretici ambo in uno lecto quod portavit eis Blanca, uxor dicti testis.

- Interrogatus de tempore, die et hora, dixit ut supra, circa festum Pasche.- Interrogatus si comedit vel bibit cum eis, dixit quod non.- Interrogatus qui viderunt eos ibi illa nocte, dixit quod nullus nisi ipse testis et predictus Ramundus et Blanca, et Ramunda mater ipsius testis vidit eos in crastinum, ut dixit.

- Interrogatus si audiverunt predicationem eorum illa nocte, dixit quod non, quia nox profunda erat, et statim intraverunt lectum.- Interrogatus si dicta uxor sua sciebat dictos Petrum et Guillelmum Auterii esse hereticos, dixit quod sic, quia fama publica erat in terra quod erant heretici, et ipsem dixerat sibi quando rediit de Ax prima vice qua viderat eos quod predicti avunculi sui redierant ad terram et debebant venire ad domum suam, et si ipse esset absens, recipere eos benigne et secrete teneret.

Item dixit quod VI anni sunt vel circa quod Guillelmus Issaura de Larnato adduxit dictos hereticos ad domum dicti testis quadam nocte, XV diebus ante festum Iohannis Bابتiste (*En marge* : Recep.). – Interrogatus si dicti heretici steterunt diu in dicta domo sua, dixit quod sic, per tres septimanas et plus continue, comedentes et bibentes de bonis ipsius testis.- Interrogatus si dedit aliquid aliud dictis hereticis vel ipsi sibi, dixit quod non, nisi quod dictus Petrus Auterii dedit sibi tres turonenses albos (*En marge*: Recepit ab eis).

- Interrogatus qui fuerunt qui viderunt eos in dicta domo sua, dixit quod nullus quod ipse sciat, quia statim ivit ad exercitum cum Comite Fuxi et fuit ibi per tres septimanas vel circa. Et ipsi remanserunt in dicta domo usque ad redditum suum, et erat dies dominica, et in crastinum de nocte, ut sibi videtur, recesserunt.- Interrogatus quo iverunt, et si ipse vel aliquis alias associavit eos, dixit quod Ramundus filius Arnaldi Issaura de Larnato venit pro dictis hereticis et dixit quod pater suus mittebat eum ut duceret dictos hereticos ad domum suam apud Larnatum.

Item dixit quod eodem anno quando redierat de nundinis Appamiarum sancti Antonini cum Petro Amelii de Merenx et cum Ramundo Auterii predicto eiusdem dyocesis^a, invenit dictos hereticos in domo sua, et adduxerat eos idem Ramundus qui

a. *Replacer eiusdem dyocesis après Merenx-*
eduxerat, secundum quod dixit sibi dicta Blanca uxor sua. Quo auditio ipse testis et dictus Petrus Amelii descenderunt ad locum sub solario ubi dicti heretici erant, et ante fuerant (*En*

marge : Recep.), quibus salutatis dictus testis dimisit dictum Petrum Amelii et dictum Ramundum Auterii cum dictis hereticis, et ipse ascendit solarium, volens ordinare de cena futura. Qua parata vocavit dictos Petrum Amelii et Ramundum Auterii, et cenaverunt. – Item interrogatus si dicti heretici cenaverunt cum ipsis, dixit quod nunquam, nec tunc nec aliquando comedit cum eis, nec vedit eos comedentes. – Interrogatus quanto tempore fuerunt ibi tunc dicti heretici, dixit quod XV diebus vel circa, comedentes et bibentes in domo sua ubi iacebant, ministrante et parante eiusdem de bonis ipsius testis dicta Blanca uxor sua.

Interrogatus qui cviderunt eos illo tempore, dixit quod omnes predicti et Guillelmus de Area de Querio et Philippus de Larnato et Arnaldus Issaura eisdem loci, et Bernardus Tornerii de Tarascone, ut audivit ab uxore sua predicta.- Interrogatus quo iverunt quando recesserunt de domo sua, et quis recessit cum eis, dixit quod nescit quo iverunt, sed dictus Guillelmus de Area venit ad eos et cum eis recessit quadam nocte ante primum sompnum.- Interrogatus de die, dixit se non recordari.

Item dixit quod post predicta eodem anno circa festum beati Vincentii ipse testis ivit apud Ax pro quibusdam que habebat ibi facere, et Sebelia den Batle, mulier, venit ad eum, dicens ei quod Petrus Auterii et Guillelmus Auterii heretici predicti et Pradas Tavernerii hereticus erant in domo sua et volebant eum videre. Et statim ipse testis ivit ad domum dicte mulieris et invenit ibi (*En marge* : Visio) dictos hereticos in quadam camerula secreta. Et cum vedit eos salutavit et cum magna reverentia quemlibet osculatus est in ore (*En marge* : Visio, Rever.).-

- Interrogatus quid plus fecit cum eis vel quid audivit eos loquentes, dixit quod nichil aliud fecit nec dixit, nisi prout supra deposituit. Audivit tamen, ut dixit, predicationes et monitiones eorum (*En marge* : Pred.) .- Interrogatus quid dicebant vel predicabant, dixit quod loquebantur de Deo et de apostolis et inter alios nominabant sanctum Paulum.- Interrogatus que persone erant $F^{\circ} 10 r^{\circ}$ (XIV) presentes, dixit quod dicta Sebelia et Bernardus eius filius et dicti heretici et ipse testis.

Item dixit quod anno proxime dicto, dictus testis quadam die de qua non recordatur circa Carniprivium ivit apud Larnatum ad videndum socrum suam, et Arnaldus Issaura dicti loci dixit sibi tunc quod Petrus et Guillelmus Auterii heretici predicti erant in domo sua, et statim ipse testis ivit visum dictos hereticos, quos invenit in dicta domo dicti Arnaldi in sotulo in quadam loco separato, et fecit eis eandem reverenciam quam fecit supra, osculando eos.- Interrogatus de die, dixit se non recordari.- Interrogatus de hora, dixit quod circa vesperas.- Interrogatus de astantibus, dixit quod uxor dicti Arnaldi Issaura cuius nomen ignorat et Ramundus et Guillelmus eius filii et dictus Arnaldus Issaura.

Item dixit quod transacto anno predicto circa festum beate Marie mensis septembbris quidam nuncius Petri Amelii de Merenx cuius nomen ignorat quidam nocte ante auroram adduxit adduxit^a ad domum ipsius testis Petrum et Guillelum Auterii hereticos, quos idem testis receptavit, et posuit eos in loco predicto dicte domus ubi ante steterant.- Interrogatus quid fecit cum eis, dixit quod nichil aliud, nisi quod recepit eos in domo sua et dedit eis ad comedendum et bibendum.- Interrogatus si ferunt ibi diu, dixit quod XV diebus vel circa.- Interrogatus si scit quod aliqua persone venirent ad domum suam ad videndum dictos hereticos, dixit se vidisse plures quod Philippus de Larnato, Guillelmus de Area,

a. *Suppr.*: adduxit.

Geraldus de Rodesio, Bernardus Turnerii (*En marge* : Contra B. Turnerii), Ramunda den Ranat de Tarascone et dicta uxor ipsius testis intrabant et exibant de loco ubi dicti heretici in

domo sua stabant, tamen non vidit vel scit, ut dixit, quid dicebant vel quid faciebant cum eis.

- Item dixit interrogatus quod Guillelmus de Area de Querio abstraxit dictos hereticos de domo sua quadam nocte ante primum sompnum et duxit eos apud Querium ad domum suam prout postea ipse testis audivit a dicto Guillelmo.

Item dixit se vidiisse dictos hereticos avunculos suos apud Querium in domo Petri de Area.- Interrogatus quid fecit vel dixit cum eis, dixit quod fecit eis reverenciam ut supra.- Interrogatus qui erant ibi presentes, dixit quod dictus P. de Area et Guillelmus de Area et nullus alias.- Interrogatus si predicti P. et G. de Area fecerunt dictis hereticis aliquam reverenciam, dixit quod non quod ipse viderit.- Interrogatus de tempore, dixit quod bene sunt V anni elapsi, et fuit tempore Pasche Domini.

Item dixit quod IIIor anni erunt circa festum sancti Michaelis quod Petrus et Guillelmus Auterii heretici predicti et cum ipsis Iacobus Auterii hereticus, filius dicti Petri, quadam nocte ante auroram venerunt apud Tarasconem ad domum ipsius testis, et fuerunt ibi XV diebus vel circa, comedentes et bibentes de bonis ipsius testis. - Interrogatus quid fecit vel quid dixit cum eis, dixit quod recepit eos favorabiliter et benigne, et secrete tenuit eos, et fecit eis eandem reverenciam prout supra osculando eos. – Interrogatus si audivit predicationem eorum, dixit quod non.- Interrogatus qui viderunt et visitaverunt eos, dixit quod illi quos supra nominavit.- Interrogatus si fecerunt eis aliquam reverenciam, dixit quod non quod ipse viderit.

Item dixit quod anno predicto, quadam die ante festum Natalis Domini, cum ipse testis esset apud Ax pro negotiis suis, Sebelia den Batle predicta dixit ipsi testi quod Pradas et Guillelmus Auterii, Petrus Ramundi de Sancto Papulo et Pradas Tavernerii heretici erant in domo sua, qui volebant ipsum videre. Et statim ivit ad eos ipsos salutans, et faciens eis illam reverenciam quam fecit supra, quemlibet humiliter osculando.

- Interrogatus si audivit monitiones et predicationes eorum, dixit quod non, quia parum stetit cum eis.- Interrogatus de astantibus, dixit quod dicta Sebelia et Bernardus eius filius et ipse testis.- Interrogatus de die, dixit se non recordari: de hora, dixit quod circa vesperas.

Item dixit quod eodem anno circa festum sancti Vincentii Guillelmus Hugonis de Savarduno adduxit ad domum dicti testis apud Tarasconem quadam nocte ante auroram Petrum Auterii et Iacobum Auterii eius filium $F^{\circ} 10 v^{\circ}$ hereticos, quos idem testis receptavit. Et fuerunt ibi per unam diem, et comederunt et biberunt de bonis ipsius testis.

- Interrogatus si fecit eis aliquam reverenciam, dixit quod non nisi quod osculatus est eos ut supra.- Interrogatus si aliqui venerunt ad dictam domum suam ad videndum dictos hereticos, dixit quod Guillelma, spuria dicti Petri Auterii, vedit eos ibi.- Interrogatus si vedit quod faceret eis aliquam reverenciam, dixit quod non.- Interrogatus quis eduxit dictos hereticos et quo iverunt, dixit quod dictus Guillelmus Hugonis recessit cum eis de nocte ante primum sompnum. Nescit tamen quo iverunt.

Item dixit quod III anni sunt vel circa quod dictus Guillelmus Auterii hereticus venit de nocte apud Tarasconem ad domum Petri de Galacho antiquioris, ubi Gualarda, uxor dicti Petri, infirmabatur. Et tunc dictus Petrus venit ad ipsum testem, dicens sibi quod dictus Guillelmus Auterii erat in domo sua et volebat ipsum videre. Qui testis statim cum eodem Petro ivit ad dictum hereticum, et invenit eum in quadam camera dicte domus, et salutans eum, interrogavit eundem quando venerat et quare. Qui hereticus respondit quod

venerat ad recipiendum in sectam suam (*En marge* : Hereticatio) dictam Gualardam infirmam, et fuerat ibi III diebus, et expectabat eius finem.

- Interrogatus si fuit ibi diu dictus hereticus expectando finem dicte infirme, respondit quod stetit ibi tunc per VIII dies donec fuit mortua. - Interrogatus si fuit recepta et hereticata per dictum hereticum, dixit quod sic, secundum quod dictus hereticus dixit sibi.- Interrogatus si ipsee testis fuit prresens vel qui interfuerunt dicte hereticationi, dixit quod ipse non interfuit, nec scit qui interfuerunt, sed dicta muliere mortua, dictus hereticus venit ad domum ipsius testis. - Interrogatus quis adduxit vel associavit eum, dixit quod ipsem. - Interrogatus quantum fuit in dicta domon sua, dixit quod illa nocte et per diem crastinum.

In sequenti vero nocte Bernardus Turnerii de Tarascone venit pro dicto heretico, et cum vellent simul recedere, dictus testis interrogavit eum quo debebat ire, et dictus Bernardus Turnerii respondit sibi quod ducerret eum ad domum suam propriam, et inde irent ad domum Guillelmi Bayardi dicti loci (*En marge* : G. Bayardi).

Interrogatus qui viderunt dictum hereticum in domo nsua predicta, respondit quod Petrus de Galhaco iunior, Ramundus Ioculatoris, Sebelia uxor Ramundi Sutra, et uxor ipsius testis ac Petrus de Rodesio frater suus, omnes de Tarascone.- Interrogatus si ipse testis vel alii fecerunt dicto heretico reverenciam seu adoraverunt eum, dixit quod non quod ipse viderit.

Item dixit quod V anni erunt in mense septembbris, ut credit, quod vidit Petrum et Guillelmum Auterii hereticos predictos in domon Arnaldi Piquerii de Tarascone, et vidit cum dictis hereticis dictum Arnaldum Piquerii et eius uxorem nunc mortuam.

- Interrogatus quomodo scivit quod essent dicti heretici in dicta domo, respondit quod dictus Arnaldus Piquerii dixit et significavit ei. - Interrogatus si fecit eis aliquam reverenciam, dixit quod osculatus est eos.- Interrogatus si audivit monitiones vel predicationes eorum, vel quod dicerent aliquid contra fidem catholicam, dixit quod non.- Interrogatus si scit quando venerunt dicti heretici ad dictam domum et quando inde recesserunt, dixit se nescire.

Item dixit quod eodem anno circa festum Natalis Domini, quadam die de qua non recordatur, cum ipse testis faceret transitum ante domum Alamande uxor Arnaldi de Sos de Tarascone, dicta Alamanda dixit sibi quod Guillelmus Auterii et Iacobus Auterii heretici erant in domo sua, et quod videret eos. Qui respondit quod cum fecisset aliquid quod habebat facere in villa, in redditu videret eos et volebat loqui cum eis. Quos quidem hereticos vidit, (*En marge* : Vis.) ut dixit, in domo predicta, et stetit cum eis per unam pausam in quadam camera.

- Interrogatus si fecit eis aliquam reverentiam, dixit quod sic, osculando eos ut supra, et non aliter.- Interrogatus de astantibus, dixit quod dicta Alamanda et ipse testis et nullus alias.- Interrogatus si dicta Alamanda fecit eis reverenciam, dixit quod non quod ipse viderit.- Interrogatus si audivit predicationes vel monitiones eorum, dixit quod non.- Interrogatus si scit quando venerunt et quando recesserunt dicti heretici, dixit quod non.

Item dixit quod in augusto proxime venienti erunt V anni, ut sibi videtur, ipse testis veniens de Carcassona fecit transitum per Limosum et ivit ad domum Martini Franciscii dicti loci pro manulevenda pecunia que $F^{\circ} 11 r^{\circ}$ (XV) sibi deficiebat a dicto Martino pro expensis faciendis usque ad villam suam. Qui siquidem Martinus tunc dixit ipsi testi quod Petrus et Guillelmus et Iacobus Auterii heretici erant in domo sua, si volebat eos videre. Quos hereticos vidit ibidem, ut dixit, et fecit eis eandem reverenciam quam supra. Et erat cum ipso teste Petrus Tinhaci de Ax, qui vidit eos similiter et fecit eis reverenciam

osculando eos.

- Interrogatus si erant aliqui alii cum ipsis hereticis, dixit quod sic, dictus Martinus, Guillelmus Petri de Limoso et Monetus Fabri et quedam mulier cuius nomen ignorat. – Interrogatus si audivit dictos hereticos loquentes aliquid de secta sua, dixit quod non.- Interrogatus si vidiit quod predicti facerent ipsis hereticis reverenciam, dixit quod non.- Interrogatus si dimisit dictos hereticos in dicta domo, dixit quod sic.

Item dixit quod in media quadragesima proxime transacta fuerunt V anni quod Ramunda mater sua infirmabatur illa infirmitate de qua obiit in domo Ramundi Auterii fratris dicte infirme apud Ax, et quadam die ipse testis ivit ad dictum locum ad videndum dictam matrem suam infirmam, et invenit ibi in dicta domo Petrum et Guillelmm Auterii hereticos. (*En marge* : Hereticatio).

- Interrogatus qui erant presentes cum dictis hereticis, dixit quod dictus Ramundus Auterii et Esclarmonda uxor sua.- Interrogatus si scit ad quid erant ibi vel ad quid venerant dicti heretici, dixit quod postea audivit dici a dicto Petro Auterii heretico quod venerant ad recipiendum dictam matrem suam, et eam receperunt dicti heretici in secta sua.- Interrogatus si scit qui fuerunt presentes in dicta receptione seu hereticatione, dixit quod non.

Item dixit quod V anni erunt circa festum Natalis Domini proxime venturum quod ipse testis ivit apud Lernatum pro negociis suis, et cum esset ibi in domo Marquesie socrus sue, venit ad ipsum testem Arnaldus Issaura de Lernato, dicens ei quod Petrus et Guillelmus Auterii erant in domo sua. Et statim ipse testis cum dicto Arnaldo ivit visum dictos hereticos, quos invenit in domo dicti Arnaldi, salutans eos et faciens eis reverenciam, ipsis amplexando et osculando in ore.

- Interrogatus de illis qui erant ibi presentes, dixit quod dictus Arnaldus et Ramundus et Guillelmus eius filii, et quedam eius filia cuius nomen dixit se ignorare.- Interrogatus si vidiit quod predicti fecerint dictis hereticis aliquam reverenciam, dixit quod non.- Interrogatus si ipse vel predice alie persone audiverunt ipsis loquentes aliquid contra fidem catholicam, dixit se non recordari. Dixit tamen quod monebant eum et inducebant quod esset de secta et credencia eorum, et ipse testis respondebat eis, ut dixit, quod non curabat, nec adhuc intendebat ad hoc.- Interrogatus si audivit ipsis loqui aliquid expresse de vita, fide seu secta et credencia eorum, dixit quod non, excepto quod audivit ab eis quod Deus non creavit hominem, nec faciebat granare vel florere.- Interrogatus si fuit diu cum dictis hereticis in dicta domo, dixit quod non nisi parum, et de die inter nonam et vesperas, et recessit ab eis, ipsis in dicta domo remanentibus.

Item dixit quod in mense septembbris erunt V anni quod Bernardus Turnerii de Tarascone venit ad ipsum testem in operatorio suo ubi erat et scribebat, et dixit sibi quod iret ad domum dicti Bernardi, quia ibi erant Petrus et Guillelmus Auterii heretici, qui volebant ipsum videre. Et statim cum dicto Bernardo ivit illuc, et invenit dictos hereticos in dicra domo, salutans eos et faciens eis reverenciam, videlicet ipsis amplexando et osculando amoro capucio.

- Interrogatus quid fecit vel quid dixit cum eis, respondit quod nichil aliud. – Interrogatus si audivit predicationes vel monitiones eorum, dixit quod monebant et inducebant ipsum quod esset de secta et credencia eorum, et multa verba dixerunt ei de quibus dixit se non recordari. – Interrogatus qui erant ibi presentes, dixit quod dictus

Bernardus Turnerii et Guillelma uxor sua (*En marge* : Contra Guillelmam ux. B. Turnerii de Tar.) et quedam filia minor cuius nomen ignorat. – Interrogatus si vidiit quod predice persone

fecerint dictis hereticis aliquam reverenciam, dixit quod amoto capucio inclinabant se coram eis super utrumque humerum alternatim.- Interrogatus si scit quis adduxit dictos hereticos ad dictum locum, vel quo iverunt quando exierunt de domo predicta, dixit se nescire, quia parum fuit cum eis et dimisit eos ibi.

Interrogatus si unquam *F° 11 v°* adoravit dictos hereticos flexendo genua coram eis, vel vidit ab aliis adorari, dixit quod non, nec fecit eis aliam reverenciam, nisi prout supra deposituit, et dixit se vidiisse quod omnes persone superius per ipsum nominate cum quibus ipse erat presens, exceptis mulieribus, fecerunt dictis hereticis reverenciam inclinando se coram eis super utrumque humerum.

Interrogatus si unquam comedit cum dictis hereticis in eadem mensa, vel comedit de pane ab eis benedicto, dixit quod non.

Interrogatus si dedit eis vel recepit ab eis aliquid, dixit quod non quod recordetur ad presens, nisi prout supra dixit.

Interrogatus si vidiit alibi hereticos vel fecit aliquid cum eis, dixit quod non quod modo recordetur, nisi prout supra deposituit.

Interrogatus si credidit unquam quod heretici essent boni homines et tenerent bonam vitam et bonam fidem, et quod homo posset salvari in fide eorum, dixit quod non.

Interrogatus quare non cepit dictos hereticos et quare non procuravit quod caperentur, cum sciret quod Ecclesia persecutus eis et erant et sunt contra fidem Ecclesie romane, dixit quod celabat et fovebat eos quia erant de parentela sua, et non credebat peccare nec male facere.

Item interrogatus dixit se audivisse dici a Petro et Guillelmo Auterii hereticis predictis quod Petrus Martini de Uginhaco receptabat dictos hereticos et celabat in domo sua et dabat eis comedere et bibere de bonis suis.

Item audivit, ut dixit, ab eisdem hereticis quod Guillelmus et Petrus de Luzenaco fratres similiter receptabant eos in domo sua et eis providebant.

Item dixit se audivisse dici ab eisdem quod Bernardus de Servello de Tarascone erat amicus, secretarius et familiaris eorum et receptabat et tenebat eos secrete in domo sua, dando eis ad comedendum et bibendum de bonis suis.

Item dixit sponte quod audivit a dictis hereticis quod Ramundus Valsieyra, Bernardus Arqueiatoris, els Gomberx eius nepotes quorum nomina ignorat, et Petrus Tinhac, Ramundus Garsen mortuus, Guillelma eius filia, G. Mathei de Ax erant amici, familiares, receptatores, credentes et fautores ipsorum hereticorum, recipientes eos in domibus propriis et dantes eis ad comedendum et bibendum de bonis suis.

Item dixit quod Petrus et Guillelmus Auterii heretici predicti dixerunt ei quod Ramundus Martini, Gentilis eius mater, Mateldis uxor eius de Tarascone, Rixendis den Asco d'Asco, Arnaldus et Bernardus filii eius, erant amici et familiares et secretarii eorum, recipientes eos in domibus suis et dantes eis de bonis suis ad comedendum et bibendum.

Itrem dixit quod IX^a anni sunt vel circa, quadam die mercurii parum ante festum Penthecosten, Frater Ramundus de Rodesio frater ipsius testis de ordine Fratrum

Predicatorum misit sibi quandam litteram, quod statim visis litteris veniret ad eum apud Appamias quia periculum erat in mora. Quibus litteris visis et lectis dictus tetis paravit se et in crasrinum ivit apud Appamias ad predictum Fratrem Ramundum. Qui Frater trahens ipsum testem ad partem dixit ei quod Frater Guillelmus Poncii predicti ordinis dixerat sibi quod quidam beguinus qui vocabatur Guillelmus Iohannis et morabatur in Alppamiis venerat ad ipsum, et diderat ei quod ipse b eguinus fuerat apud Merenx in domo Petri Amelii (*En marge* : De morte beguini) qui sibi dixit si volebat videre Petrum et Guillelmum Auterii hereticos, et audire verba eorum bona. Qui beguinus respondit quod libenter videret eos. Et tunc predictus P. ostendit ipsi beguino predictos hereticos, et locutus est multum cum eis, et dixit dictus Frater Guillelmus Poncii predicto Fratri Ramundo quod dictus beguinus dixerat sibi quod faceret capi dictos hereticos, et quod dictus beguinus audiverat a dictis hereticis quod dictus testis receptabat eos in domo sua et dabat eis ad comedendum eqt bibendum de bonis suis.

Et tunc predictus Frarter Ramundus petiit a dicto fratre suo si hoc erat verum quod vidisset et recepisset dictos hereticos in domo sua vel alibi, qui testis respondit et dixit ei quod nunquam viderat et tenuerat dictos hereticos, et quod dictus beguinus menciebatur. Et post hoc predictus testis, utr dixit, rediit ad domum suam apud Tarasconem, et inde ivit apud Ax lcutum cum Ramundoo Auterii fratre dictorum hereeticorum, dicens ei et narrans predicta omnia que dixerat sibi predictus Frater Ramundus de dicto beguino, et quod dictus beguinus volebat f acere capi si posset predictos hereticos, et quod traderentur inquisitoribus, et quod super hoc adhiberent consilium ut non videret eos beguinus.

Item dictus testis narravit, ut dixit, omnia predicta Guillelmo de Area de Querio quadam die apud Ax, et dictus G. de Area tunc dixit ipsi teti quod viderat dictum beguinum in platea *F° 12 r°* de Ax, et incontinenti idem Guillelmus de Area ivit ad dictum beguinum, dicens eiei si querebat dictos hereticos, qui respondit quod sic. Tunc predictus Guillelmus de Area dixit predicto beguino quod ipse doceret eos sibi, et quod sequeretur eum apud Lernatum ubi erant. Quod et fecit dictus beguinus, prout dictus Guillelmus de Area postea retulit et dixit ipsi testi.

Item idixit idem testis quod Philippus de Lernato domicelluis et Petrus de Area dixerunt isibi quod quadam nocte ionvenerunt dictum beguinum in ponte de Alato et statim ceperunt et embossaverunt eum taliter quod non posset clamare, et duxerunt eum ad montes supra Larnatum, et ibi interrogaverunt eum si erat verum quod vellet facere caépi dictos hereticos. Qui concessit quod sic. Et statim predicti Pohilippus et Petrus dictum beguinum proicerunt per unum magnum balcum in quadam foveam seu caunam, ita ut postea non fuit visus, prout hec posteaz ipsi Philippus et Petrus retulerunt et dixerunt predicto testi. Et dictus testis dixit eis quod male fecerant quia interfecerant eum, sed quod fecissent taliter quod non posset videre dictos hereticos nec esse vel loqui cum eis.

Item dixit quod IX^a anni erunt circa festum beati Iohannis Babtiste quadam nocte Guillelmus Issaura predictus adduxit Petrum et Guillelmum Auterii hereticos predictos apud Tarasconem ad domum ipsius testis, et steterunt ibi XV diebus vel circa, comedentes et bibentes de bonis ipsius testis.

- Interrogatus quid fecit vel quid dixit cum eis, dixit quod nichil aliud fecit nisi quod recepit eos grataanter amoto capucio. - Interrogatus si audivit predicationem eorum,

a. Corr.: IV.-

dixit quod dicebant quod habebant potestatem salvandi hominem, et multa verba dicebant ei de quibus non recordatur.- Interrogatus qui viderunt ibi tunc dictos hereticos, dixit quod

Ramunda mater sua, Philippus de Lernato, Arnaldus Issaura, Guillelmus de Area et Geraldus de Rodesio frater suus et uxor sua predicta.- Interrogatus quis abstraxit dictos hereticos de domo sua et quo iverunt, dixit se nescire.

Item eodem anno circa Carniprivium dicit heretici venerunt, ut dixit, ad domum suam, et nescit, ut dixit, quis adduxit eos, et fuerunt ibi VIII diebus vel circa. Et viderunt eos ibi dicta mater sua, frater suus et uxor sua predicti, et ipse testis, et nullum alium quod iopse viderit. Et nescit, ut dixit, quod iverunt quando de dicto loco recesserunt.

Hec depositus anno, die et loco predictis coram dictis locum tenentibus dicti domini inquisitoris, in presencia et testimonio Fratris Poncii de Turrellis, Fratris Petri Ramundi Assaliti ordinis Fratrum Predicatorum conventus Carcassone, magistrorum Iacobi de Poloniaco, rectoris Ecclesie de Caunetis, et mei Guillelmi Ramundi canonici Sancti Affrodisii Biterris, publici notarii officii Inquisitionis, qui predictis interfui et recepi.

Postque anno quo supra VII kls augusti predictus Guillelmus de Rodesio plenus recordatus, constitutus in iudicio in camera dicti magistri Iacobi custodis Muri coram dicto Fratre Iohanne de Felgosio tenenti locum dicti^a inquisitoris iuratus addidit dicte sue confessioni, dicens quod III anni vel circa sunt elapsi quod Ramundus Ioglar de Tarascone dixit sibi quod servientes domini Comitis Fuxi venerant ad domum Alamande uxoris quondam Arnaldi de Sos dicti loci, et invenerunt ostium firmatum, et dicebant quod volebant intrare et habere unam quarteriam que erat Arnaldi de Suc mercatoris de Tarascone, qui erat captus in castro de Fuxo. Et noluit eis aperire pro eo quia in dicta domo erat Guillelmus Auterii hereticus, et si dicti servientes intrarent, invenirent eum et caperent.

Et dicta Alamanda dixit predicto Ramundo Ioglar quod iret ad Guillelmum Bayardi notarium de Tarascone quod veniret et faceret tantum cum dictis servientibus quod intrarent per unum ostium dicte domus, et dictus Guillelmus Auterii posset exire per aliud ostium, videlicet per illud quod est a parte podii. Quod fuit factum ita quod dictis servientibus amotis de dicto ostio ad monitionem Bernardi de Villario, servientis dicti Comitis missi per dictum Guillelmum Bayardi, predictus hereticus exivit de domo predicta per ostium supradictum, et ivit recte ad domum Bernardi Servelli de Tarascone, prout dictus Ramundus Ioglar dixit et retulit dicto testi.

Item dixit quod Bonafemina Martina nunc mortua et Guillelma Auterii ancille ipsius testis viderunt Petrum et Guillelmum Auterii hereticos plures in domo sua, et serviebant eis in hiis que dicti heretici volebant.- Interrogatus si vidiit quod facerent eis aliquam reverenciam vel adorarent eos, dixit quod non.

Item dixit quod P. Lombardi et Ramunda soror eius, filii quondam Ramundi Lombardi de Tarascone *F° 122 v°* viderunt predictos duos hereticos in domo sua, et erant

a. *Adde : domini.-*

etatis X annorum vel circa.- Interrogatus si dicti Perus et Ramunda sciebant quod predicti Petrus et Guillelmus Auterii essent heretici, dixit quod credit quod sciebant ipsos esse

hereticos.- Interrogatus quare credit quod ipsi sciebant quod erant heretici, respondit quod credit quod Blanca mater eorum dixit eis quod erant de illis qui vocantur heretici, aliter nescit pro certo, ut dixit.

Hec depositus anno, die et loco predictis coram dicto locum tenente dicti domini inquisitoris in presentia et testimonio Fratris Poncii de Massillia, Fratris Poncii de Turrellis, Guilelmi Boerii ordinis Fratrum Predicatorum conventus Carcassone, magistri Iacobi de Poloniaco rectoris Ecclesie de Caunetis, et mei Guillelmi Ramundi notarii Inquisitionis predicti qui hiis interfui, scripsi et recepi.

Iuravit et abiuravit omnem heresim et fuit reconciliatus.

Postque anno Domini M° CCC° octavo et XI° die kls novembbris Guillelmo de Rodesio supradicto per religiosum virum Frartrem Gaufridum de Ablusiis inquisitorem predictum citato et comparente et in iudicio constituto coram predicto domino inquisitore in domo Inquisitionis civitatis Carcassone in loco vocato Audiencia, me Guillelmo Ramundi notario et testibus infrascriptis presentibus, supradicta confessio ipsius Guillelmi fuit eidem Guillelmo intelligibilliter recitata et perfecta de verbo ad verbum sicut continetur et est in presente libro Inquisitionis conscripta per me Guillelmum Ramundi notarium supradictum, ad cuius confessionis declarationem et completionem dictus Guillelmus iuratus dixit et depositus quod sequitur, per dictum dominum ionquisitorem interrogatus :

Quod ipse stetit captus tam in Fuxo quam Appamiis quam etiam Carcassone in Muero per XV dies vel circa antequam faceret suam confessionem predictam. Dixit tamen quod libenter confessus fuisset coram predictis locum tenentibus antequam captus fuisset, si Fraater Ramundus, frater ipsius testis predictus, duxisset ipsum testem ad dictos locum tenentes sicut duxit eum ad dominum Petrum Arnaldi senescallum Fuxi, quod fuit circa Nativitatem Domini.

Item dixit quod quando Ramundus Auterii avunculus ipsius testis fecit sibi primam mentionem de Petro et Guillelmo Auterii hereticis, licet non dixerit ipsi testi quod ipsi P. et G. erant heretici, tamen ipse testis credebat ipsos esse hereticos, tum quia propter factum heresis fugerant de terra, cum quia fama erat per terram quod ipsi erant heretici, et propter hoc ipsi P. et G. heretici non audebant intrare de die, sed de nocte tantum, ut dixit. Dixit etiama de Iacobo Auterii quod sciebat ipsum esse hereticum, tum quia sequebatur vitam et modum et commercium hereticorum predictorum, cum quia a multis aliis audiebat dici hoc ipsum.

Item dixit quod ubi nominatur in confessione sua Gentilis mater Ramundi Martini, debet dici Alissendi mater Ramundi Martini.- Item ubi dicitur Frater G. Poncii, vult addi: vel Frater Ramundus de Curia.

Item dixit quod quando frater suus mandavit sibi quod cito veniret ad eum quia "periculum est in mora", postquam audivit dictum fratrem suum loquentem prout in sua

confessione sua^a exprimitur, intellexit illud periculum esse in hoc quod predicti hertici caperentur.- Item dixit quod viam quam fecit ad fratrem suum predictum apud Appamias, redditus eius et iter et verba que habuit cum Ramundo Auterii et Guillelmo de Area apud Ax de facto beguini (*En marge : De morte beguini*) qui P. et G. hereticos predictos volebat facere capi, necnon et mors beguini ab hoc subsecuta, et relatio facta ipsi testi de morte beguini predicti, prout continetur in confessione sua predicta, totum factum fui infra XV dies inmediate sequentes vel circa.

- Interrogatus si credit quod heretici predicti vel alii sunt nunc in terra Savartesii vel circa, dixit quod credit quod sic, tum quia non est auditus aliquis rumor de recessu eorum, cum quia habent multos amicos et receptatores in terra.- Interrogatus de nominibus receptatorum et locorum cum quibus et in quibus receptantur vel credit nunc receptari vel receptatos fuisse, dixit quod :

Guillelmus et Bernardus et Ramundus de Area fratres apud Querium, in quorum domo est quedam archa *F° 13 r° (XVII)* ad reponendum bladum, et in eadem archa subtus bladum est repositorium quoddam seu latibulum in quo heretici consueverunt abscondi.

Item Petrus et G. de Lusenacho fratres apud Lusenachum.

Item P. Martini senior, P. et Arnaldum fratres filii dicti Petri senioris apud Ugenachum.

Item P. et Ramundus Issaura et Philippus de Lernarto apud Lernatum.

Item Ramundus Sabaterii apud Lordatum.

Item apud Ax Ramundus Valseyra, G. Mathei et eius mater, B. Arqueiatoris, els Gombertz nepotes Bernardi Arqueiatoris, Arnaldus Auterii filius Petri Auterii heretici.

Item Petrus Amelii de Merenchis.

Item apud Meianesium in Donnasano Ramundus Terreni.

Item apud Montem Alionem Ramundum Asemarii.

Dixit etiam quod Ramundus Auterii frater hereticorum predictorum, videlicet Petri et G. Auterii, melius posset procurare quod heretici caperentur quam quisquis alias.

Interrogatus si aliquid aliud vult vel intendit addere, minuere, corrigere vel mutare circa confessionem, additionem et declarationem premissas, dixit quod non, nisi quod premissa que circa Petrum et Guillelmum avunculos et Iacobum Auterii consanguineum suos hereticos predictos fecit et exercuit, fecit et exercuit magis propter amorem naturalem quem habebat ad eos, quia erant de genere et parentela eorum, quam propter aliud, et pro omnibus commissis per eum in crimine supradicto supponit se voluntati et misericordie dicti domini inquisitoris et eius successorum in Officio, renuncians omni deffensioni iuris et facti per quod dicta eius confessio posset infrangi, irritari seu etiam annullari.

- Interrogatus si ipsam confessionem suam, declarationem, additiones, confirmationes, ratificationes, renunciations et alia supradicta recognovit vel recognoscit nunc territus minis vel tormentis, inductus prece vel precio, timore, favore, odio vel amore, seductus vel informatus per aliquem, dixit quod non, sed quia sic se habet veritas et propter exhortationem anime sue, et quia nullam in toto vel in parte continent falsitatem.

a. *Suppr.: sua.-*

Acta fuerunt hec anno, die et loco predictis coram dicto domino inquistore, in presentia et testimonio Fratrum Iohannis de Felgosio, Geraldii de Blumaco, Iohannis

Stephani ordinis Fratrum Predicotorum, domini Petri Radulphi rectoris Ecclesie de Maloleone Appamiensis dyocesis, magisri Iacobi de Poloniacho rectoris Ecclesie de Caunetis Carcassonensis dyocesis, magistri Petri Boerii notarii Inquisitionis et mei Guillelmio Ramundi de Alayracho, canonici Sancti Affrodisii Bitterris, notarii publici officii Inquisitionis, qui hiis interfui et de mandato dicti domini inquisitoris ea recepi et scripsi.

Postque anno quo supra et IX kls novembbris, Guillelmus de Rodesio supradictus, vocatus rediens ad presenciam dicti domini inquisitoris, constitutus in iudicio coram ipso in loco vocato Audiencia, in presencia mei notarii et testium infrascriptorum, omnia et singula supradicta per ipsum confessata et eadem per me Guillelmum Ramundi notarium infrascriptum lecta et recitata intelligibiliter in vulgari, prout scripta sunt et continentur superius, recognovit et confessus fuit esse vera et nullam continere falsitatem in toto vel in parte, et ea omnia et singula approbat, ratificavit et confirmavit, et in eis dixit se velle stare et perseverare.

Et dixit ad declarationem sue confessionis predicte quod quando Bernardus Turnerii dixit ei quod debebat ducere predictum hereticum, de quo ibidem in sua confessione habetur mentio, ad domum Guillelmi Bayardi de *F° 13 v°* Tarascone, ipse qui loquitur scit, sicut dixit, quod Petrus Ramundi nepos dicti Guillelmi Bayardi, filius Iordani de Ravato, infirmabatur in domo dicti Guillelmi Bayardi. Et credit ipse qui loquitur quod ad hoc dictus Bernardus Turnerii ducebat dictum hereticum ad domum dicti Guillelmi Bayardi, ut si contingisset dictum Petrum Ramundi puerum appropinquare morti, reciparetur in sectam hereticorum per hereticum supradictum.

Acta fuerunt hec anno, die et loco predictis coram dicto domino inquisitore, in presencia et testimonio Fratrum videlicet Stephani Laurelli, prioris Fratrum Predicotorum Carcassone, Iohannis de Felgosio, Geraldi de Blumaco, Guillelmi de Solaro, Iohannis Stephani, ordinis Fratrum Predicotorum, nobilis viri domini Iohannis de Arleto militis, domini Regis senescalli Carcassone et Biterris, domini Aymerici de Croso militis, iudicis Salti, domini Mayoli Robentini militis, vicarii Carcassone domini Regis, domini Frisci Ricomanni Legum professoris, domini Petri Radulphi rectoris Ecclesie de Maloleone Appamiensis dycesuis, magistri Iacobi de Poloniacho rectoris Ecclesie de Caunetis Carcassonensis dyocesis, magistrorum Petri Vitalis, Pertri Guila iurisperitorum, Petri Garini, Petri Boerii notarii Inquisitionis, et mei Guillelmi Ramundi notarii publici officii Inquisitionis, qui predictis intrerfui et de mandato dicti domini inquisitoris recepi et scripsi.

Infera CXXXI.

ARNALDUS PIQUERII LOQUITUR

F° 14 r° (XVIII) Anno Domini M° CCC° octavo, idus iunii, Arnaldus Piquerii de Tarascone Appamiensis dyocesis, constitutus in iudicio in camera magistri Iacobi de Poloniacho custodis Muri Carcassone coram religiosis viris Fratre Geraldo de Blumaco priore conventus Fratrum Predicotorum Carcassone, et Fratre Iohanne de Felgosio eiusdem ordinis et conventus, tenentibus locum religiosi viri Fratris Gaufridi de Ablusii inquisitoris heretice pravitatis in regno Francie auctoritate Apostolica deputati, iuratus ad sancta Dei evangelia super facto heresis de se ut principalis et de aliis vivis et mortuis ut testis plenam et meram dicere veritatem :

Dixit quod VII anni sunt, ut sibi videtur, alibi non bene recordatur de tempore, quod Mateldis uxor sua nunc defuncta dixit sibi pluries et rogavit eum quod haberet familiaritatem et noticiam Petri et Guillelmi et Iacobi Auterii hereticorum, et quod reciperent eos in domo sua, quia boni homines erant, et possent magis valere de eis. Et dictus testis, ut dixit, timens quod si reciperet eos, revelaretur et sciretur, dicte uxori sue dixit quod ipsa procurabat quod perderent omnia bona sua.

Item dixit quod illud idem dixit sibi pluries Guillelmus de Area de Querio. Tandem dictus Guillelmus de Area, de voluntate ipsius testis et in assensu, quadam nocte qua iam gentes intraverant lectum et ierant cubitum, adduxit ad domum suam Petrum Auterii et Iacobum eius filium hereticos, et tunc dicta uxor sua petuit ab eis, ut dixit, si erant heretici; qui responderunt quod bene erant de illis qui sic vocantur (*En marge : Visio et receptio*) Tunc dictus testis ibi presens dixit eis quod male venissent.

- Interrogatus quid fecit cum dictis hereticis, vel quid audivit ab eis, dixit quod dicebant quod ipsi erant Ecclesia Dei, et tenebant bonam vitam et bonam fidem, (*En marge Errores*) meliorem quam nos. "Nam fides, ut dicebant dicti heretici ipsi testi, quam vos tenetis, nichil valet". Et legebant in quodam libro verba de Evangeliiis de quibus non recordatur.- Interrogatus si fecit eis aliquam reverenciam, dixit quod non tunc.- Interrogatus si fuerunt ibi diu, dixit quod III vel IIII diebus et noctibus, comedentes et bibentes ibidem. Tamen, ut dixit, tradebant pecuniam ipsi testi vel uxori sue, de quo emebat eis panem et vinum, pisces et alia sibi necessaria. – Interrogatus si dedit eis de bonis suis, dixit quod non, quia pauper homo erat, ymmo ipsi dabant ei de hiis que parabantur ad opus eorum..

Item dixit quod predicti heretici dixerunt eidem quod oportebat quod esset de credencia eorum, et quod faceret conventionem et promissionem (*En marge : Convencio*) quod

si contingeret ipsum infirmari ita quod esset in periculo mortis, vellet et concederet quod possent eum recipere in sectam suam, quod concessit eisdem, ut dixit, et illam eandem concessionem et permissionem fecit dictis hereticis Mateldis uxor sua, prout dixit.

- Interrogatus qui erant ibi presentes, dixit quod nullus alias.- Interrogatus quis abstraxit eos de domo sua et quo iverunt dicti heretici, dixit quod dictus G. de Area recessit cum eis quadam nocte, et nescit quo iverunt, ut dixit.

Item dixit quod post predicta transactis XV diebus vel circa, quadam die de qua dixit se non recordari, ivit ad Querium ad domum dicti Guillelmi de Area ad plumendum quandam pullum ad piscandum, et invenit ibi Petrum Auterii et Iacobum eius filium hereticos predictos.

->Interrogatus quid fecit cum eis vel quid dixerunt sibi, dixit quod dixerunt ei quod volebant redire ad domum suam apud Tarasconem, et rogaverunt eum quod reciperet eos et teneret secreta. Qui respondit eis quod non faceret citra dominicam sequentem, sed postea receptaret eos libenter.- Interrogatus qui erant ibi presentes, dixit quod dictus Guillelmus de Area et eius mater cuius nomen ignorat.

Item dixit quod die martis vel die mercurii post dicitam diem dominicam, dictus Guillelmus de Area adduxit dictos hereticos apud Tarasconem ad domum ipsius testis de nocte.

- Interrogatus in qua parte noctis venerunt, dixit se nescire, quia convenerant cum eis quod quacumque hora venirent, possent intrare, ita quod impingerent cum manu quandam lapidem cum qua erat firmatum hostium a parte inferiori.- Interrogatus si fuerunt ibi diu, dixit quod VIII diebus vel circa, ut sibi videtur.- Interrogatus quid fecit cum eis vel quid dixerunt ei, dixit quod dicebant (*En marge* : Errores) quod ipsi erant Ecclesia Dei, et Ecclesia sua habebat oculos et aures et pedes et manus, et videt et audit et loquitur, et dicebant quod Ecclesia romana nichil erat nec valebat aliquid, quia illa est de lapidibus, calce, terra et lignis. Item dixit quod audivit ipsos hereticos legere in quodam libro, de nocte cum candela, de Deo et de Evangelii seu Epistolis, de quibus verbis non recordatur.

-Interrogatus de illis qui venerunt ad videndum dictos hereticos, dixit quod persone infrascripte diversis temporibus viderunt eos *F° 14 v°* in dicta domo sua et fuerunt locute cum eis, videlicet Guillelmus de Area, Guillelmus de Rodesio, Petrus de Galliacho clericus, Ermengardis mater Poncii Sicredi, Ramunda mater dicti Guillelmi de Rodesio, Bernardus Turnerii, Na Gaya uxor Ramundi Fabri, P. Maglos de Tarascone, Guillelmus Issaura de Lernato, Ramundus Auterii de Ax, Esclarmunda uxor eius et Arnaldus filius Petri Auterii de Ax, Ramundus Sabaterii de Lordarto, Geraldus de Rodesio qui moratur apud Appamias.-

- Interrogatus si fecit dictis hereticis aliquam reverenciam, dixit quod sic, videlicet quod tribus vicibus diversis temporibus in domo sua adoravit eos flexis genibus (*En marge* : Adoratio) et Amelium de Perlis hereticum, dicendo : "Boni christiani, orate Deum pro me", et ipsi respondebant : "Dominus parcat vobis et faciat vos bonum christianum".- Interrogatus si predicti superius nominati adoraverunt dictos hereticos vel fecerunt eis aliquam reverenciam, dixit quod dicta uxor sua et dictus Guillelmus de Area adoraverunt eos flexis genibus, dicendo verba que ipse dixit, dictis hereticis respondentibus ut supra, ipso teste presente. De aliis personis superius noiminatis non vidit, ut dixit, quod

adoraverint eos, quia non erat presens continue cum eis quando loquebantur cum dictis hereticis, nec scit nec audivit si audiverunt predicationes et monitiones eorum.-

Interrogatus de tempore, dixit dixit^a ut supra.

Item dixit quod predicti heretici a dicto tempore citra fuerunt XX vicibus et plus in domo sua, stando ibi aliquociens VIII diebus, aliquociens XII et aliquociens XV. Et veniebant ad videndum eos persone quas supra nominavit. Et dixit quod ab uno anno citra Guillelmus Auterii et Amelius de Perlis fuerunt in dicta domo sua apud Tarasconem tribus vicibus, videlicet ante festum Natalis Domini et post, et una vice adducebat eos Guillelmus de Area, alia vice Baccallarius de Querio et aliquociens Geraldus de Rodesio predictus adducebat et reducebat eos.

Item dixit quod in vendemiis proxime preteritis vidit bis in platea de Tarascone Philippum de Talayracho de Constanciano hereticum, et una vice venit ad domum ipsius testis cum uno pane albo, petens ab ipso si morabatur ibi Arnaldus Piquerii, qui respondit quod sic, et quod ipse erat Arnaldus Piquerii. Et tunc dictus hereticus comedit de dicto pane in domo sua et emit de vino, et petivit ab eo rumores de Amelio de Perlis heretico, qui respondit ei quod longum tempus erat quod non viderat eum. Et tunc dictus testis interrogavit dictum Philippum si erat de illis bonis hominibus, volens dicere de hereticis, qui respondit : "Bonus christianus sumus si Deo placet". Et tunc dictus testis intellexit quod hereticus erat.- Interrogatus si dictus hereticus dixit sibi aliquid aliud, dixit quod non.- Interrogatus si scit quo ivit quando recessit ab eo, dixit quod non.

Item dixit quod hoc anno ante vendemias, quadam die martis que erat dies forensis, venit apud Tarasconem ad domum suam Ramundus Fabri hereticus, et petivit si erat ibi Amelius de Perlis hereticus vel si sciebat eum (*En marge : Visio et recepr.*), quia Guillelmus Auterii hereticus predictus volebat loqui cum ipso. Qui respondit quod diu erat quod non viderat eum.- Interrogatus si scit quo ivit quando recessit ab eo, dixit quod non.

Item dixit quod IIII anni vel circa sunt elapsi quod vidit apud Tarasconem in domo Guillelmi de Rodesio Guillelmum Auterii hereticum et socium suum de cuius nomine non recordatur.

- Interrogatus quid fecit cum eis, dixit quod nichil aliud, quia non venerat ad videndum eos, sed ad recuperandum quoddam instrumentum a dicto Guillelmo de Rodesio.
– Interrogatus qui erant cum dictis hereticis, dixit quod dictus Guillelmus de Rodesio et Blanca uxor eius et nullus alias quod ipse viderit.

Item dixit quod VI anni possunt esse, ut sibi videtur, quod ivit apud Ax ad domum Guillamone filie quondam Ramundi Garsendi ad videndum et sciendum si erat ibi Petrus Auterii hereticus, quia ipse hereticus dixerat eidem quod si vellet aliquid de ipso, cum dicta Guillamona posset scire rumores de eo. Quem hereticum invenit in domo dicte Guillamone, et ibi locutus fuit cum ipso.

- Interrogatus quid dixit sibi, dixit quod habebat causam apud Narbonam, et rogavit eum quod daret sibi notitiam cum aliquo sapiente Narbone amico suo, qui consuleret eum super hiis que habebat facere ibi. – Interrogatus si tunc fecit ei aliquam reverentiam, dixit quod non.- Interrogatus qui erant presentes cum dicto heretico, dixit quod Guillelmus

a. Suppr.: dixit.-

Auterii et Iacobus Auterii et Andreas de Pradis heretici, et dicta Guillamona.- Interrogatus si adoravit dictos hereticos ibi, dixit quod non in aliquo loco nisi in domo sua prout supra

dictum est.

Item dixit quod circa festum instans Omnim Sanctorum erunt IIIIor anni, ut sibi videtur, quod Mateldis uxor sua *F° 15 r° (XIX)* infirmabatur apud Tarasconem in domo sua de infirmitate de qua obiit, et quadam die de qua dixit se non recordari circa horam tertiam, Andreas de Pradis hereticus venit ad domum ipsius testis et invenit dictam uxorem suam infirmam graviter. Et eadem die vel in crastinum dictus hereticus recepit dictam uxorem ipsius testis in sectam suam et ipsam hereticavit (*En marge : Hereticatio*).

- Interrogatus de modo receptionis seu hereticationis, dixit quod tenebat dictus hereticus quemdam librum super caput dicte infirme, in quo legebat quedam verba que ipse testis non intelligebat, et paulo post dictam receptionem seu hereticationem dicta infirma decessit, et fuit sepulta eadem die in cimiterio de Tarascone.- Interrogatus qui fuerunt presenrtes in dicta hereticatione, dixit quod ipse testis, G. Augerii de Tarascone et dictus hereticus et nullus alias quod recordetur. Et statim quando dictus hereticus vidiit et cognovit quod dicta infirma volebat mori, dimisit eam et exivit de domo predicta. Nescit tamen ipse testis quo ivit.- Interrogatus si adoravit eum, dixit quod non.

Item dixit quod Ramundus Auterii de Ax dixit sibi quod IIIIor anni sunt vel circa quod Ramunda de Rodesio, soror dicti Ramundi, fuit recepta (*En marge : Heret. De auditu*) in secta hereticorum apud Ax in infirmitate de qua obiit. – Interrogatus si dixit sibi per quos hereticos fuit hereticata vel qui fuerunt ibi presentes, dixit quod non.

Item dixit quod Guillelmus Auterii hereticus quadam nocte, III anni sunt vel circa, cum sederet ad ignem apud Tarasconem in domo sua, dixit sibi quod Guillammus gallicus qui morabatur apud Ax fuit receptus in secta hereticorum (*En marge : Heret. De auditu*) et fecerat bonam finem. – Interrogatus si dixit sibi si fuit receptus seu hereticatus per ipsum hereticum vel per alium, et qui fuerunt in dicta receptione, dixit quod non interrogavit eum de hoc, nec ipse dixit sibi aliud.

Item dixit se audivisse dici a Guillamona, filia quandam Ramundi Garsendi de Ax, quod ipsa ivit apud Querium ad domum Guillelmi de Area ad videndum dictos hereticos, et quod ibi vidiit eos et locuta fuit cum eis.

Item dixit quod dicta uxor sua Mateldis fuit in dicta infirmitate bis hereticata per dictum hereticum, et in prima hereticatione interfuerunt ispe testis et G. Augerii, in secunda et ultima hereticatione interfuit Alamanda de Sos de Tarascone prout ipsa dixit sibi (*En marge : Hereticatio seu receptio*).

Item dixit quod ipse hoc anno parum ante festum Nativitatis Domini ivit apud Ugenachum ad videndum et visitandum Arnaldum Martini sororium suum dicti loci, et vidiit ibi in domo dicti sororii sui Philippum hereticum et Ramundum Fabri hereticum (*En marge : Visio*)..

- Interrogatus quid dixit eis vel quid fecit cum eis vel quid ipsi dixerunt ei, dixit quod nichil aliud, nisi quod salutavit eos et petit qualiter fuerat eis, et ipse querebant ab eo si steterat et fecerat bene.- Interrogatus si comedit et bibit cum eis, dixit quod non.- Interrogatus si quando recessit a dicta domo dicti heretici remanserunt ibi, dixit quod sic.- Interrogatus qui erant ibi presentes, dixit quod Arnaldus et Guillelmus Martini sororii sui, ipse testis et nullus alias quod recordetur.

Interrogatus si vidiit alibi hereticos vel fecit aut dixit aliquid aliud cum eis, dixit

quod non, nisi prout supra deposituit, quod recordetur.

Interrogatus si audivit dictos hereticos loquentes aliquid contra fidem catholicam, dixit se audivisse dici ab eis (*En marge* : Errores) quod ostia consecrata per capellanum non erat corpus Christi nec valebat aliquid, et quod ipsi satis comedenter de talibus.- Item audivit ab eis quod baptismus nichil valebat nec proficiebat homini, et dicebant quod quadam vice accidit quod cum Iacobus hereticus predictus vel eius pater portassent quemdam puerum ad baptismum, cum fuit baptizatus, quando voluerunt reddere eum matri sue, invenerunt ipsum mortuum propter frigus quod habuit in aqua in qua fuerat baptizatus.- Interrogatus si audivit aliquos otros errores ab eis contra fidem Domini nostri Ihesu Christi, dixit quod non, nisi prout supra deposituit, quod recordetur.

Interrogatus si credidit unquam quod heretici erant boni homines et quod tenerent bonam vitam et bonam fidem, et quod homo posset salvari in fide et secta eorum, respondit et dixit se dubitare (*En marge* : Dubitat), quia ibant de nocte et occulte faciebant et dicebant quicquid faciebant.

Interrogatus quare receptavit et adoravit eos, dixit quod propter suum infortunium et suum malum sensum.

Hec depositus anno, die et loco predictis coram dictis locum tenentibus dicti domini inquisitoris, in presentia et testimonio Fratris Poncii de Turrellis, Fratris Petri Ramundi Assaliti, ordinis Fratrum Predicatorum conventus Carcassone, magistri Iacobi de Poloniacho rectoris Ecclesie de Caunetis, et mei Guillelmi Ramundi de Alayracho, auctoritate Sedis apostolice publici officii Inquisitionis notarii, qui predictis interfui, scripsi et recepi.

F° 15 v° Postque anno quo supra et X° kls augusti, predictus Arnaldus Piquerii rediens plenus recordatus, constitutus in iudicio coram dicto Fratre Iohanne de Felgosio tenente locum dicti domini inquisitoris, iuratus ad sancta Dei Evangelia, addidit confessioni sue, dicens se vidisse cum dictis hereticis apud Tarasconem, tam in domo sua quam alibi ab VIII annis citra diversis temporibus, non tamen simul, personas infrascriptas loquendo cum ipsis hereticis, videlicet Bernardum de Area, Raimundum de Area de Querio, quendam nepotem de Peric de Area cuius nomen ignorat, Guillamonam uxorem Guillelmi de Carramat, (*En marge* : Visio hereticorum) Petrum de Galliacho maiorem diebus, Ramundum Martini de Tarascone, Bernardum Dartigas maiorem diebus, et Alamandam uxorem Arnaldi de Sos. – Interrogatus quid faciebant vel dicebant dicte persone cum dictis hereticis, dixit se non recordari.

Item dixit se audivisse dici ab Amelio de Perlis heretico quod ipse fuerat in hospicio Iohannis Ciboeri de Tarascone.

Hec depositus anno, die et loco predictis, in presentia et testimonio Fratris Poncii de Turrellis, magistri Iacobi de Poloniacho rectoris Ecclesie de Caunetis, et mei Guilelmi Ramundi notarii Inquisitionis, qui hiis interfui, scripsi et recepi.

Postque anno quonupra VII kls augusti predictus Arnaldus Piquerii iterum rediens plenus recordatus, constitutus in iudicio coram dicto locum tenente, iuratus dixit quod :

III anni vel circa sunt elapsi, cum iret piscatum, obviavit Andree de Pradis heretico in via iuxta Petras Cabanas, et rediit cum dicto heretico apud Tarasconem, et duxit eum et posuit in domo Alamande uxoris Arnaldi de Sos sororie sue dicti loci, quem dicta Alamanda recepit, quia ipsum cognoscebat et sciebat ipsum esse hereticum.- Interrogatus si erat ibi aliqua alia persona in dicto hospicio, dixit quod non quod ipse viderit.- Interrogatus si stetit ibi diu, dixit se nescire.

Hec depositus coram dicto locum tenente dicti domini inquisitoris anno et die predictis in presencia et testimonio Fratrum Poncii de Massilia, Poncii de Corneliano, Guilelmi Boerii ordinis Fratrum Predicotorum, et mei dicti Guilelmi Ramundi publici officii Inquisitionis notarii, qui predictis interfui, scripsi et recepi.

Postque anno Domini Millesimo CCC^o octavo, videlicet decimo kls novembbris, predictus Arnaldus Piquerii citatus et comparens ac in iudicio constitutus in domo Inquisitionis Civitatis Carcassone in loco vocato Audiencia coram domino Fratre Gaufrido de Ablusiis inquisitore predicto, presentibus me Petro Boerii notario et testibus infrascriptis, fuerunt eidem Arnaldo predicta sua confessio et additiones suprascripte recitate et perlecte de verbo ad verbum intelligibiliter in vulgari, ad quarum declarationem dictus Arnaldus Piquerii iuratus ad sancta Dei Evangelia et interrogatus per dictum dominum inquisitorem, dixit quod :

Eo tempore quo repetebantur usure, Monetus de Area et unus de illis tribus fratribus qui cognominantur de Area extraxerunt hereticos de domo ipsius Arnaldi Piquerii.

Item dixit quod de tempore mortis Mateldis uxoris sue plene non recordatur, tamen dixit quod possunt esse tres anni vel circa.- Item dixit quod Guillermus Augerii de Tarascone quem dixit superius in confessione sua interfuisse hereticationi Mateldis uxoris dicti Arnaldi Piquerii erat pater dicte Mateldis.

Item dixit quod quando heretici predicti sciverunt quod habebat uxorem secundam nomine Ramundam, sororem Arnaldi Martini de Hugenacho, statim venerunt ad hospicium suum predictum, et ordinavit et fecit, ut dixit, quod Ramunda uxor sua predicta recollecteret eos, quod et fecit dicta Ramunda, et satis cito post idem Arnaldus dixit uxori sue quod predicti erant heretici. Et tunc fuerunt in domo sua IIII vel quinque vicibus prout sibi videtur, ut dixit, et ultima vice qua vidit eos, vidit eos in quadragesima proxime preterita in hospicio suo predicto, et qualibet vice per aliquos dies morabantur ibidem.

F° 16 r° (XX) Interrogatus si aliiquid aliud vult vel intendit addere, minuere^a...

Acta fuerunt hec anno, die et loco predictis... de Felgosio, Gerald de Blumaco, Iohannis Stephani socii dicti... domini Petri Radulphi rectoris Ecclesie de Maloleone App...Muri Carcassone et rectoris Ecclesie de Caunetis dyocesis... Regis et Imperiali auctoritate et Inquisitionis notarii...

a. Page déchirée verticalement. Formule de ratification habituelle, cf p. .

GUILLAMONA GARSENDI

F° 16 v° Anno Domini M° CCC° octavo, XVII kls iulii, Guillelma alias vocata Guillamona, filia quondam Ramundi Garsendi de Ax Appamiensis dyocesis, constituta in iudicio in camera magistri Iacobi de Poloniaco custodis Muri Carcassone et coram Fratre Geraldo de Blumaco priore conventus Fratrum Predicatorum Carcassone et Fratre Iohanne de Felgosio eiusdem ordinis et conventus, tenentibus locum religiosi viri Fratris Gaufridi de Ablusiis predicti ordinis, inquisitoris heretice pravitatis in regno Francie auctoritate apostolica deputati, iurata ad sancta IIIor Dei Evangelia super facto heresis de se ut principalis etgde aliis vivis et mortuis ut testis plenam et meram dicere veitatem :

Dixit quod VIII anni vel circa sunt elapsi quod Ramunda de Rodesio, soror quondam Petri et Guillelmi Auterii hereticorum de Ax, quadam die dominica, cum ipsa testis iret spatiatum cum dicta Ramunda, dixit sibi ipsa Ramunda si volebat scire viam per quam posset salvare et ire in paradisum. Que respondit quod libenter faceret et diceret per quod posset salvare animam suam. Tunc dicta Ramunda fecit sibi mentionem de bonis hominibus, videlicet de illis qui vocantur heretici, dicens ei quod ipsi tenebant viam Dei et apostolorum, et habebant bonam fidem, et qui credebat in eis, docebant multa bona per que homo poterat venire ad salvationem. Et quod ipsi heretici habebant potestatem salvandi animas. Et dicebat quod ipsi heretici erant Ecclesia Dei, et faciebant magnas abstinentias, et non menciebantur. Et illis qui volebant credere et dictis et factis eorum, nunquam veniebat aliquod infortunium, ymmo abundabant in diviciis, et omnia que faciebant erant sibi utilia et bona.

Et interrogavit eam si volebat dictos hereticos videre, et in eis credere, que respondit quod sic, libenter. Postque transacto uno mense vel circa, quadam nocte circa principium, dicta Ramunda misit pro ipsa teste quod veniret ad domum suam, et statim ipsa ivit, et cum fuit ibi dicta Ramunda dixit ipsi testi quod illi boni homines, videlicet heretici, de quibus ante locuta fuerat sibi, erant iuxta villam de Ax in quadam condamina si volebat ipsos videre.

Et statim ipsa tests ivit cum dicta Ramunda ad dictam condaminam, et invenerunt ibi Guillelmum Auterii et Poncium de Ax hereticos, et cum ipsis erant duo homines quorum nomina ignorat, et ibi dicta testis primo vidi hereticos et locuta est primo cum dictis hereticis et audivit predicationem et monitionem eorum, ut dixit. (*En marge : Visio her. Pred.*)

- Interrogata quid dixit vel fecit cum eis, et quid audivit eos loquentes, dixit quod in adventu salutavit eos, dicens : "Domini, salvemini", et dicti heretici responderunt sibi : "Filia, bene veneritis", dicentes ei quod esset bona mulier et secretaria, et si volebat credere eis, ipsi ponerent eam in viam salvationis, quia ipsi tenebant viam Dei et apostolorum, et habebant potestatem a Deo absolvendi et remittendi peccata et salvandi animas.

Et postea locuti fuerunt ad partem aliquantulum cum dicta Ramunda, et postea dicta

Ramunda dixit dicte testi quod debebant facere reverenciam dictis hereticis. Et ibidem dicta Ramunda flexit genua coram dictis hereticis ter, et in qualibet genuflexione dicebat : "Benedicite", et dicti heretici respondebant : "Deus vos benedicat" (*En marge* : Adorations). Dixit etiam dicta testis quod ipsa inducta et edocta per dictam Ramundam fecit reverenciam dictis hereticis, flexendo genua ter coram eis, et dicendo "Benedicite" in qualibet genuflexione, dictis hereticis respondentibus : "Deus vos benedicat".

- Interrogata de astantibus, dixit quod dicta Ramunda, duo homines quos non cognoscebat, dicti heretici et ipsa testis.

Item dixit quod eodem anno parum ante Carniprivium, quadam die de qua non recordatur, Sebelia den Batle de Ax dixit ipsi testi quod predicti heretici erant in domo sua, et statim ivit ad videndum eos et invenit ipsos hereticos (*En marge* : Visio) in domo dicte Sebelie stantes ad ignem, et salutavit eos et stetit et sedit per unam magnam pausam cum eis.

- Interrogata quid dixit eis vel quid audivit ab eis, dixit quod ipsi heretici dixerunt ei quod Dominus fecerat sibi magnam gratiam quia erat in amicitia, noticia et credencia eorum, monentes $F^{\circ} 17 r^{\circ}$ (XXII) eam quod staret et esset in bono statu et quod esset bene secretaria, dicentes ei quod ipsi salvarent animam suam si volebat credereis et facere illud quod ipsi vellent. Et ipsa respondit eis quod libenter faceret et diceret ad voluntatem suam omnia que erant ad salvationem anime sue.

Et tunc dicti heretici dederunt sibi pectines et unum agulerium, et dixerunt ei si vellet eos recipere et tenere secrete in domo sua, que respondit quod sic, libenter. (*En marge*: Receptio). – Interrogata si adoravit eos tunc, dixit quod:non.- Interrogata qui erant presentes cum dictis hereticis, dixit quod dicta Sebelia et ipsa testis et nullus aliis quod ipsa viderit.- Interrogata si scit quo iverunt dicti heretici quando recesserunt de domo dicte Sebelie, dixit quod in nocte sequenti recedentes de loco predicto venerunt ad domum suam cum Sebelia predicta, que adduxit eos. Et steterunt ibi, ut dixit, usque ad Carniprivium et per totam sequentem quadragesimam.

Item dixit quod in septimana sancta illius quadragesime, nocte, Bernardus et Guillelmus Gomberti de Ax adduxerunt ad domum ipsius testis apud Ax Petrum Auterii, Iacobum Auterii eius filium, Andream Pradas et quendam vocatum Ramundum hereticos, et fuerunt in dicta domo suan dicti heretici simul (*En marge* : Receptio) cum predictis Guillelmo Auterii et Poncio de Ax hereticis VIII diebus vel circa de die et de nocte, comedentes et bibentes ibidem. – Interrogata quid comedebant, dixit quod comedebant et bibebant panem et vinum et pisces, et non comedebant carnes neque caseum neque ova, et iejunabang tribus diebus in septimana in pane et aqua, et aliis diebus comedebant coquinam paratam cum oleo et pices et fructus quando poterant habere, et bibebant vinum.- Interrogata ubi habebant ea que erant sibi necessaria pro victo suo, dixit quod Sebelia den Batle decoquebat et parabat eis panem de domo sua quem comedebant, et ipsa testis emebat eis vinum et pisces et oleum, de pecunia tamen eorum.

- Interrogata de personis que viderunt et visitaverunt dictos hereticos in dicta domo sua, dixit quod Narbona mater Guillelmi Gomberti, Guillelmus Gomberti et Bernardus, filii dictae Narbone, Ermessendis uxor dicti Guillelmi, Ramunda den Iaufre, Bernardus Arqueiatoris, Berengaria uxor Arnaldi Borrelli, Gualarda uxor Arnaldi de Orlu, Ramundus de Valseyra, Vesiata uxor quondam Petri Mathei, Iachobus Garsendi frater ipsius testis,

Ramunda, uxor quondam Ramundi Garsendi soror ipsius testis, Sebelia den Batle,

Guillelmus Mathei, Gualarda uxor Guillelmi Auterii heretici, Na Montana uxor Iohannis Laurencii, Ramundus Auterii, Esclarmonda uxor eius, Arnaldus Auterii filius Petri Auterii, Rossa uxor Bernardi Amelii, Gualarda uxor quondam Arnaldi Gauberti, Guillelma uxor Arnaldi Caravessas, Pericola frater Guillelmi Mathei, Arnaldus Mathei, (*En marge* : Contra Arn. Mathei de Ax) omnes de Ax, et Ramunda uxor Ramundi Iohannis de Merenx mortua que morabatur apud Ax.

- Interrogata quid faciebant vel dicebant dicte persone cum dictis hereticis, dixerunt^a quod fecerunt eis reverenciam, ipsa presente et vidente, diversis vicibus, adorando eos ter flexis genibus, dicendo "Benedicite", et dicti heretici respondebant (*En marge* : Adoratio) "Deus vos benedicat". Et ipsa testis similiter adoravit plures, ut dixit, dictos hereticos ter, dicendo "Benedicite" flectendo genua coram eis, dictis herticis respondentibus ut supra "Deus vos benedicat".

- Interrogata si vidit alias personas cum dictis hereticis in domo sua, dixit quod vidit Guillelmum de Lusenac clericum loquentem cum eis, non tamen vidit, ut dixit, quod adoraret eo; et Guillelmum Hugonis et Astrugam uxorem eius de Savarduno.- Interrogata si adoraverunt dictos hereticos, dixit se vidisse quod dicta Astruga adoravit Petrum Auterii et Iacobum Auterii hereticos flexis genibus ut supra.

Item dixit se vidisse dictos hereticos, non tamen simul, sed diversis vicibus et temporibus in domo Sebelie den Batle apud Ax.- Interrogata de tempore, dixit quod IIII*or* anni sunt quod non fecit residenciam continuam apud Ax, nec in partibus illis, et a IIII*or* annis citra non vidit aliquem hereticum in aliquo loco, sed IIII*or* annis supra vidit dictos hereticos plures, ut dixit, in domo sua et in domo dicte Sebelie den Batle.

- Interrogata de personis quas vidit in domo dicte Sebelie que venerunt ad visitandum dictos hereticos, dixit se vidisse ibi cum dictis hereticis Guillelmum Mathei et Vesiadam eius matrem, Aladaycim uxorem Petri Auterii, Gualardam uxorem Guillelmi Auterii, Pericola Mathei, Blancam uxorem G. de Rodesio (*En marge* : Visio), G. Gomberti, B. Arqueiatoris de Ax, Ramundam de Rodesio matrem dicti G. de Rodesio. Non tamen vidit eos simul, sed diversis vicibus et temporibus a IIII*or* annis proxime transactis supra.- Interrogata si vidit quod predice persone adorarent dictos hereticos, dixit quod vidit quod Ramunda *F° 17 v°* de Rodesio adoravit eos semel, flexis genibus, ter dicendo "Benedicite" ut supra. De aliis personis non vidit quod adorarent eos, quia parum stabat cum eis, quia non faciebat nisi quod intraret et statim exibat.

Item dixit se vidisse tempore predicto bis Andream Pradas et G. Auterii hereticos in domo Guillelmi Gomberti et eius fratrum predictorum de Ax. – Interrogata de personis quas vidit ibi cum hereticis, dixit quod Guillelmum, Ramundum et Bernardum Gomberti fratres et Narbonam eius^b mater, et nullum alium.- Interrogata si vidit quod adorarent eos ibi, dixit quod non, et dixit quod semel portavit dictis hereticis ad domum predictam ficus et racemos.

Item dixit se vidisse (*En marge* : Visio) tempore predicto semel dictos duos hereticos in domo Petri Tinhac de Ax.- Interrogata de personis quas vidit ibi cum dictis hereticis, dixit quod Marquesiam uxorem dicti Petri Tinhac et nullum alium.- Interrogata si ipsa adoravit eos vel vidit ab aliis adorari, dicit quod non.

a. *Corr.*: dixit.- b.*Corr.*: eorum.

Item vidit semel, ut dixit, tempore predicto dictos duos hereticos in domo Arnaldi

Beneti de Ax.- Interrogagta de personis que vedit ibi cum dictis hereticis (*En marge* : Visio) dixit quod Gualardam uxorem dicti Arnaldi et ipsum Arnaldum et nullum alium. – Interrogata si adoravit dictos hereticos vel vedit a predictis coniugibus adorari, dixit quod non.

Item dixit se vidisse (*En marge* : Visio) tempore predicto semel apud Tarasconem in domo Arnaldi Piquerii Petrum Auterii et Iacobum eius filium hereticos.- Interrogata de personis quas vedit ibi cum dictis hereticis, dixit quod Ramundam matrem Guillelmi de Rodesio que duxit eam ibi, dictum Arnaldum Piquerii et primam uxorem suam cuius nomen ignorat.- Interrogata si adoravit tunc dictos hereticos vel vedit a predictis aliis adorari, dixit quod ipsa non adoravit eos, sed bene vedit quod dicta Ramunda de Rodesio bene adoravit ipsos hereticos ter flexis genibus, dicendo "Benedicite", et dictis hereticis respondentibus ut supra "Deus vos benedicat".

Item vedit (*En marge* : Visio) dictos duos hereticos, ut dixit, apud Querium in domo Guillelmi de Area.- Interrogata quas personas vedit ibi cum dictis hereticis, dixit quod Vesiadum uxorem quandam Petri Mathei, Arnaldum Mathei de Ax et Guilellum de Rodesio qui venerunt cum ipsa teste ad videndum dictos hereticos. Et vedit similiter cum ipsis Guilellum de Area et eius matrem cuius nomen ignorat, et nullum alium.- Interrogata si adoravit eos vel vedit a predictis aliis adorari, dixit quod non.

Item dixit se vidisse (*En marge* : Visio) dicto tempore in messibus Andream et G. Auterii hereticos predictos semel in domo Ramundi Beloti, et portavit eis vinum et pruna, et semel in domo Poncii Riba de Monte Alionis.- Interrogata de personis quas vedit ibi cum dictis hereticis, dixit quod Ramundum Beloti predictum et Belo fratrem et eorum matrem et sororem quarum nomina ignorat et nullum alium. – Interrogata de personis quas vedit in domo dicti Poncii Riba cum dictis hereticis, dixit quod dictum Poncium et eius patrem et matrem cuius nomen ignorat, et nullum alium.- Interrogata si adoravit ibi dictos hereticos, vel vedit quod predicte persone adorarent eos, dixit quod non.

Item dixit quod VI anni fuerunt circa Carniprivium quod vedit semel apud Limosum in domo Guillelmi Petri Cavaerii de Limoso predictos hereticos per ipsam superius nominatos, videlicet Guilellum Auterii et Andream (*En marge* : Guilellum Auterii et Andream). - Interrogata de personis quas vedit in domo predicta cum dictis hereticis, dixit quod dictus Guillelmus Petri et eius matrem et sororem quarum nomina ignorat, Montolivam uxorem Martini Franciscii de Limoso et nullum alium.- Interrogata si adoravit predictos hereticos vel vedit ab aliis adorari, dixit quod non.

Item dixit quod eodem tempore, videlicet VI anni fuerunt circa Carniprivium proxime preteritum, vedit semel apud Limosum in domo Martini Franciscii de Limoso predictos VI hereticos per ipsam supra nominatos (*En marge* : Visio VI heret.).- Interrogata quas personas vedit ibi cum dictis hereticis, dixit quod dictum Martinum, Montolivam uxorem eius, Andream de Cornesano, Guilellum Falqueti de Verduno, Guilellum Mathei de Ax et matrem Guillelmi Petri Cavaerii, Na Sant Martina, Na Yganina et sororem dicti Guillelmi Petri Cavaerii de Limoso cuius nomen ignorat. – F° 18 r° (XXIII) Interrogata si adoravit dictos hereticos tunc, vel vedit ab aliis adorari, dixit quod non.

Interrogata si ipsa testis vel predicte persone per ipsam superius nominate, quod

ipsa viderit vel audiverit, audiverunt predicationes vel monitiones dictorum hereticorum vel errores eorumdem, dixit quod sic, plures. – Interrogata qui dicebant vel predicabant :

Dixit audod audivit ab eis quod Ecclesia romana non erat Ecclesia, quia si clauderetur et nullus intraret ibi, (*En marge : Errores*) fierent ibi spine et et esset deserta, et dicebant quod ipsi heretici erant vera Ecclesia Dei, et quod Ecclesia Dei sola erat in bonis hominibus et mulieribus sicut ipsi erant.

Item dicebant quod ipsi poterant animas salvare et nullus alius, et ipsi nulli nocebant nec dicebant nec faciebant malum. Et Predicatores et inquisidores non faciebant nec dicebant nisi malum.

Item dicebant quod matrimonium nichil valebat, quia Deus non invenit matrimonium, sed solum matrimonium erat a Deo institutum inter Deum et animam, et quod maius peccatum erat iacere cum uxore sua quam cum alia muliere, quia magis publice et sine verecundia illud peccatum fiebat.

Item dicebant quod ostia sacra per capellanum non erat corpus Christi, ymmo erat pasgta sicut nebule, quia de paosta fiebat, et nullus debebat credere quod illa ostia esset corpus Christi.

Item dicebant quod baptismus quod non fiebat in Ecclesia Dei nichil valebat nec proficiebat homini, et valeret tantum quod pueri baptizarentur in Atace.

Item dicebant quod nullus debebat se signare signo crucis, quia signum diaboli erat.

Item quod helemosine facte, nisi fierent Ecclesie Dei, que ipsi heretici erant, ut dicebant, nichil valebant nec iuvabant.

Item dicebant quod missa et cantus qui dicuntur in missa nichil valebant, et quod tota deceptio mundi erat in capellanis et clericis et religiosis, et sic cantando decipiebant gentes.

Item dixit quod audivit a dictis hereticis quod erant duo dii, unus bonus et alius malus, et quod deus bonus non faciebat florere nec granare, nec intromittebat se nisi de spiritibus, et quod spiritus seu anime a longo tempore citra sunt create et exeunt de corpore hominis, et postea redeunt in corporibus aliorum hominum seu mulierum, et dicebant ei quod forte ipsa testis fuerat regina.

- Interrogata si unquam credidit erroribus supradictis et quod heretici essent boni homines et quod homo posset salvari per eos et in fide eorum, dixit quod duobus annis fuit in illa credencia (*En marge : Credencia*), et postea penituit et non credidit quod dicerent veritatem, nec modo credit, ymmo vulg vivere et mori, ut dixit, in fide quam Ecclesia romana tenet et predicit, et petit misericordiam et veniam quia unquam credidit erroribus dictorum hereticorum.

Item dixit quod quedam mulier que vocabatur Pagesia, cum quadam alia muliere cuius nomen ignorat (et erant de partibus Carcassesii), VII anni sunt elapsi vel circa, venerunt apud Ax ad domum ipsius testis et viderunt ibi Poncium de Ax et Guillelmum Auterii hereticos predictos, et locute fuerunt cum ipsis, et steterunt ibi tribus diebus et III noctibus.- Interrogata si vidit quod adorarent eos, dixit quod sic, flexis genibus, ter dicendo "Benedicite", et dictis hereticis respondentibus ut su pra dictum est.

Item dixit quod circa festum Beate Marie mensis augusti erunt VII anni quod

Ramundus Garsendi, pater ipsius testis, infirmabatur apud Sanctam Suzannam in ecclesia iuxta altare de infirmitate qua obiit, et quadam nocte ante auroram durante illa infirmitate, Guillelmus Auterii et Andreas heretici predicti et cum eis Guillelmus Gomberti et filius Petri Amelii maior diebus, cuius nomen ignorat, venerunt ad dictum locum ad visitandum eum. Et cum fuerunt coram dicto infirmo, interrogaverunt ipsum si sentiebat in se quod non posset evadere de illa infirmitate, qui respondit quod bene credebat pro certo quod non posset evadere nec curari. Tunc dicti heretici pecierunt a dicto infirmo si volebat quod reciperent eum, et si possent confidere de ipso quod servaret mandata Dei et sua. Qui respondit quod sic, et statim ipsi heretici predictum infirmum volentem et petentem receperunt (*En marge : Hereticatio*) in sectam suam et ipsum heeticaverunt secundum modum eorum.

- Interrogata de modo receptionis seu hereticationis huius modi, dixit quod unus dictorum hereticorum tenbat quendam librum super caput dicti infirmi in quo legebat quedam verba que ipsa testis non intelligebat. *F° 18 v°* nec potest recordari, ut dixit, si aliquid fecerunt in receptione predicta. - Interrogata de astantibus, dixit quod Guillelmus Gomberti et filius Petri Amelii senior supradicti, Ramunda mayrastra ipius testis et ipsa testis et dicti heretici.- Interrogata de tempore, dixit ut supra. – Interrogata de loco, dixit quod in ecclesia supradicta iuxta altare.- Interrogata de hora, dixit quod nox erat profunda.- Interrogata si ipsa testis vel alii supradicti adoraverunt ibi dictos hereticos, dixit quod non.

Item dixit se audivisse dici a Na Pradas, filia Petri Brenac de Ax quod ipsa semel viderat apud Pradas Andream et Guillelmum Auterii hereticos, et non dixit sibi in qua domo vidit eos.- Item dixit quod Na Priora, filia dicti Petri Brenac^a dixit sibi quod ipsa viderat hereticos, tamen non dixit sibi quos hereticos viderat, et in quo loco, sed in partibus versus Limosum.- Item dixit quod Aladaycis, uxor Perrici Ferro, dixit ipsi testi quod viderat hereticos, non tamen dixit ubi viderat eos, sed comendavit eos multum, dicens quod boni homines erant et sanctam vitam habebant et ducebant.- Item dixit quod Guillelma mater Bernardi Laurencii de Ax dixit sibi quod viderat hereticos, et quod non sperabat salvari per alium nisi per eos.- Item dixit quod Gualarda uxor Petri Brenac de Ax quadam vice rogavit dictam testem quod procuraret sibi hereticos, quia maritus suus infirmabatur, et volebat ipsos videre. Et dixit ei quod ipsa viderat Andream Pradas et Guillelmum Auterii hereticos. Non tamen dixit sibi ubi viderat eos. – Item dixit quod Guillotus de Asco de Ax dixit sibi quod viderat hereticos, non tamen dixit sibi quos, nec in quo loco, et dixit sibi quod ita magnum peccatum erat iacere cum uxore sua quam cum concubina.

Item dixit quod in principio quando vidi dictos hereticos, VIII anni vel circa sunt elapsi, promisit dictis hereticis quod esset bona et fidelis eis et vera amica et secretaria (*En marge : Conven.*) et volebat adherere fidei eorum, et volebat mori in fide sua et recipi per eos in finem, et quod mitteret pro hereticis si contingeret ipsam infirmari et esse in periculo mortis, quod eam reciperent in fide et secta eorum.

- Interrogata si vidi alibi hereticos, vel fecit seu dixit plus cum eis, dixit quod non quod recordetur, nisi prout supra depositum.

Iuravit et abiuravit heresim et fuit reconsiliata.

a. Corr.: Brenac.-

Hec depositus anno, die et loco predictis coram dictis locum tenentibus predicti domini inquisitoris, in presentia et testimonio Fratris Poncii de Massilia, Fratris Guillelmi Radulphi ordinis Fratrum Predicatorum conventus Carcassone, magistri Iacobi de Poloniaco, rectore Ecclesie de Caunetis Carcassonensis dyocesis, magistri Bernardi Trencavelli clerici, et mei Guillelmi Ramundi canonici Sancti Affrodisii Bitteris, notarii publici officii Inquisitionis, qui predictis interfui et hec scripsi et recepi.

Postque anno quo supr IIIor kls februarii Guillelma alias vocata Guillamona predicta, vocata rediens ac in iudicio constituta in domo Inquisitionis in Civitate Carcassone coram religioso viro Fratre Gaufrido de Ablusiis inquisitore predicto, iurata ad sancta Dei Evangelia dicere plenam et puram veritatem de facto heresis de se ut principalis et de aliis vivis et mortuis sicut testis, dixit et confessa est quod alias fecerat confessionem de facto heresis coram Fratribus Geraldo de Blumaco et Iohanne de Felgosio predictis locum tenentibus inquisitoris prefati, que confessio fuit sibi lecta et recitata intelligibiliter in vulgari. Ad cuius completionem et declarationem plenius recordata dixit et confessa est quod :

Ubi dixit in principio confessionis sue quod Ramunda de Rodesio misit pro ipsa que loquitur quod veniret ad domum suam et statim ipsa ivit, debuit dicere ad domum Ramundi Auterii ubi dicta Ramunda morabatur tunc. Et ubi dicitur ibidem quod dicta Ramunda dixit sibi quod illi boni homines qui dicuntur heretici, de quibus locuta fuerat sibi, erant iuxta villam de Ax in quadam condamina, debuit dicere quod erant in domo Sebelie den Balle, ad quam domum misit ipsam que loquitur dicta Ramunda, non vocatam per dictam Sebeliam, sicut in sua confessione posuerat, et ibi *F° 19 r° (XXIV)* vedit eos primo et ostendit eos sibi dicta Sebelia, que multum comendavit sibi sectam et fidem dictorum hereticorum. Et inde iverunt apud Montem Alionem, et tunc vedit eos secundo in dicta condamina, sicut in sua confessione continetur.

Item ut dixit quod Sebelia den Balle decoquebat et parabat eis panem de domo sua, addidit quod ipsa Sebelia recipiebat bladum quod dabatur hereticis a credentibus eorum.

Item ubi dicitur Ramunda uxor quandam Ramundi Garsendi soror ipsius que loquitur, debuit dicere noverca ipsius que loquitur.- Item dixit quod in visione predicta fuit Ermessendis soror ipsius que loquitur.

Item dixit quod quando vedit dictos hereticos in domo Sebelie den Balle, sicut in sua confessione continetur, adoraverunt eos ipsa que loquitur et Vesiada mater dicti G. Mathei.

Item dixit quod ubi dicit in confessione sua quod vedit dictos hereticos in domo Arnaldi Beneti de Ax et cum eis dictum Arnaldum et Galhardam uxorem suam, debuit dicere quod vedit cum eis Galhardam filiam dicti Arnaldi uxorem Guillelmi Auterii heretici.

Item dixit quod in domo Martini Francisci de Limoso, sicut continetur in sua

confessione, vidi Petrum Monerii et quendam alium hominem de Limoso cuius nomen ignorat. Videtur tamen sibi quod erat pectinerius, et dedit sibi pectines quando recessit a dictis hereticis. Et adoraverunt predictos hereticos modo et forma quo supra. - Item dixit et confessa est quod ipsa que loquitur in dicta domo iacebas de partu, et quilibet dictorum hereticorum dedit sibi aliquam pecuniam.

Item dixit et confessa est quod ubi dicit in sua confessione quod fuit in credencia errorum hereticorum duobus annis, debuit dicere IIII or annis vel circa.

Item dixit et confessa fuit quod facta hereticatione patris sui sicut in sua confessione continetur, dicti heretici dixerunt sibi et aliis qui assistebant dicto infirmo quod non darent sibi comedere nec bibere nisi aquam et nisi multum sitiret, et tunc diceret Pater noster antequam daret^a sibi bibere.- Interrogata si tenuerunt sic, dixit et confessa est quod nunquam dederunt sibi ex tunc cibum vel potum, nec ex tunc comedit vel bibit (*En marge : Heret.*).

Item dixit quod Guillelma mater Bernardi Laurencii de Ax vidit (*En marge : Visio*) hereticos cum Marquesia uxore Petri Tinhami de Ax in domo dicti Petri Tinhami, prout audivit a dicta Marquesia.

Item dixit et confessa est quod quando vidit hereticos in domo Poncii Ribas sicut in sua confessione continetur, vidit quendam hominem de Constanciano qui vocatur Cassanhas, qui fuerat tunc receptus per hereticos secundum quod dixit sibi Guillelmus Auterii hereticus, et erat, quando ipsa que loquitur vidit eum, et fuerat ibi en la'ndura longo tempore secundum quod audivit ab eisdem, et quod illa nocte quando viderat eum vivum mortuus est et fuit sepultus in quodam campo Ramundi Belo seu Poncii Ribas, secundum quod iidem dixerunt ipsi que loquitur.

Item dixit et confessa est quod VIII anni sunt elapsi vel circa quod ipsa que loquitur vidit in domo Guillelmi et Petri Mathei fratum de Ax Petrum et Guillelmum et Iacobum Auterii, Poncium de Ax, Andream de Pradis, et quendam alium vocatum Ramundum hereticos (*En marge : Visio*) sex et tot vicibus quod de numero non recordatur, nunc hos, nunc illos, et vidit cum dictis hereticis in dicta domo Guillelmum Hugonis de Savarduno, Petrum Monerii de Limoso, Vesigadam filiam Guilellmi Raysinis, Fabrissam uxorem Arnaldi Andorrani de Ax, Sebelia den Balle, Arnaldum Piquerii de Tarascone, Guilelmum et Bernardum Gomberti, Petrum Amelii de Merenchis, Guilelmm Mathei, Arnaldum et Perum Mathei fratres et Vesiadam matrem eorum. Et omnes predicti et ipsa testis dictos hereticos adoraverunt, flectendo genua et dicendo "Benedicite" ut supra dixit. Et ibidem omnes predicti et ipsa que loquitur audiverunt monitiones et predicationes dictorum hereticorum.

Item dixit et confessa est quod eodem tempore vidit in domo Ramundi Auterii de Ax Petrum et Iacobum Auterii hereticos (*En marge : Visio*), et erant ibi presentes ipsa que loquitur et Esclarmonda uxor dicti Ramundi Auterii, et audiverunt predicationes et monitiones dictorum hereticorum.- Interrogata si tunc adoravit dictos hereticos, vel vidit ab aliis adorari, dixit quod non.

a. *Corr.*: darent, *vel* daretur.-

Item dixit quod quando heretici erant in domo ipsius que loquitur, quadam die de

qua non recordatur vidit cum dictis hereticis Petrum Caroti sartorem de Ax sedentem cum eis, videlicet eodem Guillelmo (de socio eius non recordatur, ut dixit).

F° 19 v° Item dixit et confessa est quod tempore predicto ut sibi videtur, ipsa que loquitur ivit ad visitandum Sebeliam matrem Petri Tinjac de Ax que infirmabatur, et quando fuit in domo dicti Petri Tinjaci, invenit ibi Esclarmondam uxorem Ramundi Auterii, que dixit sibi quod dicta Sebelia fuerat recepta in fide et secta hereticorum per Guillelmum Auterii et Andream de Pradis hereticos, et si ipsa que loquitur vellet videre dictos hereticos, in domo Petri Rosselli inveniret eos. Noluit ire, sed statim redit ad domum suam. Dixit etiam quod Sebelia den Balle et Galharda den Benet, que induxerant dictam receptam ut reciperetur, dixerunt ipsi que loquitur quod dicta Sebelia fuerat recepta per predictos hereticos, et quod ipsem induxerant eam ut reciperetur.

Item dixit quod predicta Sebelia den Balle, loquendo ipsi que loquitur de transitu animarum de corpore in corpus et de aliis erroribus hereticorum, dixit aliquando ipsi que loquitur quod ipsa que loquitur aliquando forte fuerat regina, aliquando pauper.

Item dixit quod Aladaycis, filia Petri Brenac, uxor Petri Ferrou, dixit ipsi que loquitur, commendans sectam et fidem hereticorum, quod ipsa Aladaycis libenter dimitteret virum suum et teneret fidem hereticorum et recederet cum hereticis si placeret eis.

Item dixit et confesssa est quod quando Galharda uxor Petri Brenac rogavit ipsam que loquitur et Sebeliam den Balle quod procurarent hereticos pro hereticando marito suo predicto, quod dicta Galharda duxit ipsam que loquitur ad lectum ubi dictus maritus suus iacebat infirmum, et ibi dictus infirmus, cancellando manus, rogavit ipsam que loquitur quod omnino haberet ei hereticos pro ipso hereticando. Quos tamen dixit se non habuisse quia convaluit.

Dixit etiam et confessa est quod Galharda uxor Petri predicti dixerat sibi que loquitur quod omnes VII filie sue sunt et erant de fide et secta hereticorum, videlicet Ramunda uxor Guillelmi Mathei, et Guillelma uxor den Pradas, et Fabrissa uxor dicti^a Prioris, Aladaycis uxor Petri Ferrou, uxor Iohannis Bona et uxor Iohannis Maurelli et Galharda que non habet virum, filie dicti Petri Brenac.- Item dixit et confessa est quod Fabrissa, uxor dicti Prioris pluries rogavit ipsam que loquitur quod adduceret hereticos ad domum dicte Fabrisse, et ipsa que loquitur duxisset si potuisset eos habere.

Item dixit et confessa est quod Esclarmonda, uxor Aramundi Auterii, dixit ipsi que loquitur quod Moneta, uxor quondam Rauzini, soror Ramundi Calhavi notarii de Ax, viderat Petrum Auterii hereticum seu alios hereticos cum dicta Esclarmonda, non tamen recordatur ipsa que loquitur quod dicta Esclarmonda dixerit sibi ubi viderat hereticos.- Dixit etiam quod audivit ab hereticis, videlicet Petro et Guillelmo Auterii, quod dicta Moneta, que erat amica seu druda Petri Auterii heretici antequam esset hereticus, quod ipsa debebat recedere cum dicto Petro quando primo recessit de terra, et postquam redierunt ipsi heretici, audivit eos dicentes quod dicta Moneta debebat cum eis recedere et sequi eos.

a. Corr.: domini-

Item dixit et confessa est quod Guillelmus Rosselli de Ax fuit receptus in sectam

hereticorum per Guillelmum Auterii et Andream de Pradis hereticos in ultima infirmitate de qua obiit (*En marge : Hereticatio*), in domo sua predicta apud Ax, et quod Petrus Rosselli filius dicti Guillelmi Rosselli procuravit et adduxit hereticos ad patrem suum predictum hereticandum. - Interrogata quomodo scit factum predictum, dixit et confessa est quod ante receptionem predictam viderat ipsa que loquitur predictos hereticos in domo predicti infirmi retro quandam flassatam in quadam camera versus aquam, ubi iam dicti duo heretici steterant per duos dies, et quod dictus Petrus, filius dicti recepti et alii credentes dixerant ipsi que loquitur quod receptus fuerat dum ipsa que loquitur, Galharda den Benet, uxor Guillelmi Auterii et alii qui venerant ad visitandum dictum infirmum stabant ad ignem in domo dicti infirmi, et quia ipsa que loquitur et Galharda predicta erant rogatae per illos de hospicio quod custodirent et adverterent ne aliquis extraneus qui non esset de intentione et intellectu facti intraret cameram dum fieret receptio supradicta.

Dixit etiam et confessa est quod VI anni vel circa erunt in estate proximo venturo, ut sibi videtur de tempore, Guillelmus Mathei et ipsa...

(*Deest fol.*)

RAMUNDUS VALSEYRA

F° 2O r° (XXVI) ... Item dixit quod eodem tempore, cum ipse testis quadam nocte ivisset cum Gualarda uxore Bernardi Iaufre de Ax ad domum Ramundi Auterii dicti loci, vedit ibi Petrum et Guillelmum Auterii et Iacobum filium dicti Petri hereticos predictos, et locutus fuit parum cum ipsis, et audivit monitiones et predicationes eorum, ut supra. – Interrogatus de astantibus, dixit quod dicta Gualarda et ipse testis et nullus aliis, quia dicti heretici erant in sotulo et alii de domo erant in solario.- Interrogatus si ipse vel dicta Gualarda adoraverunt eos, dixit quod non.

Item dixit quod IIII or anni vel circa sunt elapsi quod vidit apud Ax in domo Guillamone Garsendi Guillelmum Auterii hereticum predictum.- Interrogatus si vidi aliquam personam cum ipso heretico, dixit quod dictam Guillamona vidi et nullum alium.- Interrogatus quare ivit ad dictam domum, respondit quod dicta Guillamona dixit ei quod dictus hereticus erat ibi, et quod ipsa faceret ibi venire dictam Gualardam uxorem Bernardi Iaufre, de qua ipse erat filocaptus.- Interrogatus quid fecit vel dixit cum dicto heretico, dixit quod nichil aliud fecit, sed audivit monitionem et predicationem suam, loquendo de vita et erroribus hereticorum ut supra.

Interrogatus si unquam comedit vel bibit cum dictis hereticis vel dedit eis aliquid de suo, dixit quod non.- Interrogatus si vidi alibi hereticos vel plus fecit cum eis, dixit quod non nisi prout depositus.- Interrogatus si credidit quod heretici essent boni homines et quod tenerent bonam fidem et quod homo posset salvari per eos et in fide eorum, et si credidit predicationibus et erroribus eorum, dixit quod non.- Interrogatus quare celavit eos et quare tardavit tantum predicta confiteri, dixit quod non erat ausus venire coram inquisitoribus propter verecundiam et timorem, et penitebat multum quia unquam vidi et audivit eos, et de hoc, ut dixit, confessus fuit aliquibus capellanis, tamen dicebant ei quod non poterant eum absolvere, et quod iret ad inquisidores qui habebant potestatem absolvendi eum.

Iuravit et abiuravit omnem heresim, tamen non fuit reconciliatus, quia non reputatur plene confessus.

Hec depositus anno, die et loco predictis coram dictis locum tenentibus predicti

domini inquisitoris, in presentia et testimonio Fratrum Guilellmi Petri subprioris conventus Fratrum Predicotorum Carcassone, Deodati Vassalli, Guillelmi Philippi predicti ordinis et conventus, magistri Iacobi de Poloniaco rectoris Ecclesie de Caunetis et mei Guillelmi Ramundi notarii publici officii Inquisitionis, qui predictis interfui et hec scripsi et recepi.

Postque anno quo supra III+ kls febroarii Ramundus Valseyra predictus vocatus rediens, constitutus in iudicio coram religioso viro Fratre Gaufridi de Ablusiis inquisitore predicto in domo Inquisitionis Civitatis Carcassone, iuratus ad sancta Dei Evangelia dicere plenam et meram veritatem super facto heresis de se ut principalis et de aliis vivis et mortuis ut testis, dixit et confessus fuit quod alias confessus fuit de facto heresis coram Fratribus Geraldo de Blumaco et Iohanne de Felgosio supradictis tenentibus locum dicti inquisitoris, que confessio fuit sibi lecta et recitata intelligibiliter in vulgari.

Ad cuius completionem et declarationem dixit et confessus est quod :

VII anni F° 20 v° ut sibi videtur de tempore, fuerunt in estate proxime preterita quod Petrus Mathei pater Guillelmi, Petri et Arnaldi Mathei fratrum de Ax infirmabatur apud Ax in hospicio suo infirmitate de qua obiit, et quod durante dicta infirmitate misit et mandavit ipsi qui loquitur per Vesiadum uxorem dicti Petri quod veniret ad eum. Et cum venisset ad dictum Petrum, dictus Petrus rogavit ipsum qui loquitur quod faceret tantum quod haberet Petrum seu Guillelmum Auterii hereticos, ad hoc quia ipse P., ut dicebat ipsi qui loquitur, posset salvari per dictos hereticos, et quod sic credebat dictus Petrus, et quod ipse qui loquitur dixit dicto Petro quod Bernardus Arqueiatoris seu Sibilia den Balle comater Petri predicti, que sciebat totum factum et secretum hereticorum et magis intromittebat se de dicto facto et negocio hereticorum posset dictos hereticos procurare pro dicto infirmo.

- Interrogatus si scit vel audivit quod dictus infirmus miserit pro dictis hereticis, ut haberet per eam dictos hereticos, respondit quod dictus Petrus dixit ipsi qui loquitur postea quod ipse miserat pro dicta Sibilia, et quod ipsa venerat ad eum, et quod ipsa promiserat sibi quod haberet hereticos si volebat.- Interrogatus si scit vel audivit quod dicta Sibilia procuraverit hereticos pro dicto infirmo, et quod dictus infirmus receptatus fuerat, respondit quod dicta Sibilia dixit ipsi qui loquitur post mortem dicti Petri quod ipsa duxerat ad ipsum infirmum Guillelmum Auterii hereticum, et quod ipse infirmus habuerat dictum hereticum et a dicto heretico quod volebat, et quod dictus Petrus fuerat receptus sicut petiverat, et salvatus per dictum Guillelmum. Et propter hoc credit, ut dixit, quod dictus Petrus fuerat per dictum Guillelmum in secta hereticorum receptus, et aliter nescit, ut dixit.

Item dixit et confessus est quod anno predicta, ut sibi videtur, circa festum beati Michaelis, Gentils de Asco in infirmitate de qua obiit iacebat tunc infirma in hospitali de Ax, et durante dicta infirmitate tradidit et comendavit ipsi qui loquitur XXV solidos Tholosanorum, et mandavit sibi quod illos XXV solidos traderet ex parte dicte Gentilis Guillelmo Auterii heretico, et quod ipse qui loquitur recepit dictos XXV solidos, et eosdem misit ipso die vel sequenti (*En marge : Misit*), ut sibi videtur de tempore missionis,

Item dixit et confessus est quod eodem anno per IIIIor menses vel circa post

mortem dicti Petri Mathei, Bernardus Arqueiatoris ab ipso qui loquitur, quadam nocte de qua non recordatur, ut dixit, quesivit si volebat videre illos probos homines Petrum et Guillelmum Auterii hereticos. Tunc ipse qui loquitur respondit quod timebat quod nimis sepe videbant eos. Et tunc dictus Bernardus reprehendit ipsum qui loquitur, dicens : "A, malum, seu debile cor habetis !" Et tunc ipse qui loquitur concessit quod iret, et iverunt simul ipse qui loquitur et Bernardus Arqueiatgoris predictus, et invenerunt dictos hereticos in domo defuncti Petri Mathei predicti, ubi sciebat et audiverat eos esse a dicto Bernardo. Et in ingressu domus Vesiada, uxor quandam Petri predicti, ostendit eis ubi erant heretici predicti. Et salutatis dictis hereticis statim recesserunt, et nichil aliud fecerunt, ut dixit.

Interrogatus si, quando visitabat dictos hereticos ita frequenter, audiebat eos comendare per plures personas, audiebat etiam ipsos hereticos comendantes fidem, vitam et sectam suam, scilicet quod non menciantur, non iurant nec alicui faciunt malum, audiebat etiam ipsos hereticos loquentes de fide romane Ecclesie, quod bona non erat, et alia que ipsi heretici predicabant, *F° 21 r° (XXVII)* et quando recepit pecuniam tradendam hereticis et eandem misit eisdem, si tunc credebat bene facere vel male, respondit et confessus est quod tempore illo credebat (*En marge* : Credidit) quod ipsi heretici verum dicent, et quod ipse bene faceret faciendo predicta que continentur in sua confessione et in ipsa additione et declaracione quam facit. Modo tamen, ut dixit, penitet et dolet quia unquam credidit, et petit misericordiam, et imponi sibi penitentiam salutarem.

Item dixit et confessus fuit addendo confessioni sue predicte quod VII anni fuerunt circa festum sancti Michaelis ultimo preteritum, ut sibi videtur de tempore, quod Guillelmus Auterii hereticus venit ad domum ipsius qui loquitur quadam nocte de qua non recordatur, ut dixit, et erat circa primum sompnum noctis (et tunc ipse qui loquiur, discalciatus et existens in camisia et braccis volebat lectum intrare), et quod dictus G. percussit satis suaviter ad ostium domus ipsius qui loquitur. Et aperto sibi ostio, quesivit a dicto Guillelmo cur et quare veniebat tali hora. Qui Guillelmus respondit ipsi qui loquitur quod veniebat de domo Ramundi Auterii fratri sui, ad hoc quod ipse qui loquuntur associaret dictum Guillelmum hereticum, qui, sicut ipse G. dixit tunc ipsi qui loquitur, volebat ire ad domum hospitalis de Ax ad recipiendum in fidem et sectam hereticorum Gentils de Asco que tunc infirmabatur in dicto hospitali infirmitate de qua obiit. Et venerat illuc dicta Gentils, prout ipse qui loquitur dixit se pro certo credere, pro facto hereticorum et ad balnea. Magis tamen credit, ut dicit, quod dicta Gentils venit apud Ax ut reciperetur per hereticos quam propter balnea. Et hoc credit, ut dicit, quia dicta Gentils frequenter fecerat mentionem de facto hereticorum ipsi qui loquitur, inducens eum ad amorem et familiaritatem hereticorum, et quia sciebat ipsam esse amicam et credentem hereticorum.

Dixit etiam et confessus fuit quod ipse, assumpto quadam mantello et pellibus, associavit dictum G. hereticum usque ad hospitale predictum. Et cum essent ad gradus sive scalarium lapideum dicti hospitalis, in introitu viderunt et invenerunt ibi Mariam, uxorem Petri Amelii de Merenchis, que serviebat dicte Gentile infirme, et quod tunc ipsa Maria intravit hospitale predictum. Et ipse qui loquitur et dictus hereticus intraverunt campum retro domum hospitalis, et quod dum starent ibi dicta Maria adduxit dictam Gentils infirmam et debilem in tantum quod per se ire nec se sustinere poterat nisi adiuta, et quod ibidem ipsa Gentils sedit, et dictus Guillelmus Auterii hereticus accessit ad eam, et dixit eidem Gentils quedam verba que ipse qui loquitur non intellexit, ut dixit, licet audiret hereticum predictum loquentem cum ea. Et credit, ut dicit, quod dicendo verba que ipse qui

loquitur audiebat et non intelligebat, ut dicit, ipse hereticus recepit in fidem et sectam suam

predictam Gentils infirmam, et quod postea audivit a Maria predicta quod ipsa Gentils tunc fuerat recepta per Guillelum hereticum supradictum.

Dixit etiam quod dictus hereticus, hoc facto, dixit ipsi qui loquitur quod iret vel ad balnea vel ad domum suam, quia satis erat associatus de Maria predicta. Et tunc ipse qui loquitur recessit et ivit ad balnea, ut dixit, et dimisit dictum hereticum cum Maria et infirma predictis.

Dixit etiam quod audivit a Maria predicta quod dicta Gentils post receptionem predictam usque ad diem mortis sue non comederat, et quod vixerat per V vel VI dies. Et hoc audivit, ut dixit, satis cito post mortem Gentils predice.

Item dixit quod ubi ipse qui loquitur dicit in confessione sua predicta quod Vesiana uxor quandam Petri *F° 21 v°* Mathei ostendit sibi herticos ubi erant in hospicio suo, quod dicti heretici erant in quadam camera in solario domus seu hospicii dicte Vesiane.

Item ubi dixit superius in sua confessione de tempore herticationis Petri Mathei quod fuerunt VII anni in estate proxime preterita, ut sibi videtur, intendit comprehendit totum tempus usque ad festum Omnium sanctorum.- Interrogatus quantum duravit infirmitas Petri predicti, dixit quod videtur sibi quod dicta infirmitas duraverat per mensem et amplius, et quod decessit inter festum sancti Michaelis et Omnium sanctorum, ut sibi videtur.

Que omnia et singula supradicta predictus Raimundus Valsiera dixit, recognovit et confessus fuit esse vera, prout superius scripta sunt, et in eis vult stare et perseverare, et nichil contravenire, et ea approbat, ratificat et confirmat. Et renunciavit omni defensioni, exceptioni et iuri per que posset se iuvare vel venire contra predicta vel aliquid predictorum. Et renunciavit et conclusit ex certa scientia in presenti negocio, et habere voluit pro concluso.

Hec dixit, confessus fuit, declaravit et depositus anno Domini M^oCCC^oVIII^o, III^o kls februarii in domo Inquisitionis predicta coram Fratre Gaufrido inquisitore predicto, et coram Fratre Bernardo Guidonis, inquisitoribus heretice pravitatis, in presencia et testimonio Fratris Iohannis de Felgosio ordinis Fratrum Predicotorum, magistrorum Petri Vitalis iurisperiti, magistri Petri Boerii notarii inquisitionis, et mei Guillelmi Ramundi notarii officii Inquisitionis, qui predictis omnibus interfui, scripsi et recepi.

Postque anno M^oCCC^o nono, V idus aprilis, dictus Ramundus Valseyra rediens non citatus, constitutus in iudicio coram religioso viro Fratre Gaufrido inquisitore predicto in domo Inquisitionis Civitatis Carcassone, plenus recordatus, ut dixit, adiecit confessioni sue predicte quam alias fecerat et confirmaverat coram dicto inquisitore sub virtute a se prestiti iuramenti, dixit et confessus fuit quod :

Quando Petrus et Guillelmus Auterii heretici primo fuerunt in domo ipsius Ramundi apud Ax, fuerunt ibi plus per unam diem et unam noctem quam ipse Ramundus in sua confessione dixerit.

Item adiecit, dixit et confessus fuit quod in estate proxime venturo erunt VI anni vel

circa, ut sibi videtur de tempore, quadam vice de qua dixit se non recordari, ipse qui loquitur, Bernardus Arqueiatoris et Bernardus Gombeti de Ax iverunt ad domum Ramundi Auterii de Ax ad videndum et visitandum, et viderunt et visitaverunt Guillelmum Auterii supradictum et Poncium den Balle hereticos, de quibus Bernardus Arqueiatoris predictus dixerat ipsi qui loquitur quod erant ibi, et in domo predicta in quodam sotulo invenerunt et salutaverunt dictos hereticos inclinantes se et amplexantes eos, et amotis capuciis coram ipsis, et heretici similiter resalutaverunt eos. Et tunc ibidem sederunt cum dictis hereticis et audiverunt monitiones et predicationes hereticales solitas et predictas (*En marge* : Visio, Reve., Pred.), quibus auditis recesserunt, recepto comeatu ab ipsis hereticis remanentibus in domo predicta, et nichil aliud fuit factum ibi, ut dixit.

Item adiecit, dixit et confessus fuit quod circa festum Omnium sanctorum proxime venturum erunt V anni vel circa, ut sibi videtur de tempore, Guillelmus Gomberti de Ax dixit ipsi qui loquitur quod Guillelms Auterii hereticus qui erat in domo ipsius Guillelmi Gaomberti apud Ax volebat multum videre ipsum qui loquitur. Et ipse qui loquitur consensit et voluit quod viderent eum. Et nocte sequente^a predictus Guillelmus Gomberti et Arnaldus Auterii filius Petri Auterii heretici adduxerunt ad domum ipsius qui loquitur Guillelum Auterii hereticum supradictum. Et ibidem ipse qui loquitur, uxor sua, Guillelmus et Arnaldus predicti sederunt cum dicto heretico et audiverunt predicationes et monitiones hereticales solitas et predictas ipsius heretici (*En marge* : Vid., Recipit). Et satis cito post, eadem nocte, prefati Guillelmus Gomberti et Arnaldus Auterii extraxerunt dictum hereticum de domo ipsius qui loquitur et duxerunt dictum hereticum ad domum predicti Guillelmi Gomberti, ut credit de adductione ad domum predictam predicti Guillelmi Gomberti, ut dixit.

Acta fuerunt hec et sibi recitata intelligibiliter in vulgari coram dicto inquisitore anno, die et loco predictis, presentibus Fratre Ramundi Autal ordinis Predicotorum, magistri Iacobi de Poloniacho rectore Ecclesie de Caunetis Carcassonensis dyocesis, Arnaldo Assalti notario, Hugone de Poloniacho serviente Civitatis Carcassone, et ego Bartholomeus Adalberti de Carcassona, auctoritate Regia publicus notarius et iuratus officii Inquisitionis premissis omnibus interfui et ea recepi, scripsi et signo meo signavi.

Infra CXLII.

a. *Sic.*

BLANCA UXOR GUILLELMI DE RODESIO

F° 22 r° (XXVIII) Anno Domini M°CCC° octavo, VII° kls augusti, Blanca uxor Guillelmi de Rodesio de Tarascone capta adducta, constituta in iudicio in Camera magistri Iacobi de Poloniacho custodis Muri Carcassone coram Fratre Iohanne de Felgosio ordinis Fratrum Predicatorum, tenente locum religiosi viri Fratris Gaufridi de Ablusiis eiusdem ordinis, inquisitoris heretice pravitatis in regno Francie a Sede apostolica deputati, iurata ad sancta Dei Evangelia super facto heresis de se ut principalis et de aliis vivis et mortuis ut testis plenam et meram dicere veritatem :

Dixit quod VIII° anni vel circa sunt elapsi quod Guilelmus de Rodesio maritus suus, quadam die dixit sibi quod P. et Guilelmus Auterii fratres de Ax, de quibus dicebatur quod facti erant heretici, venerant et redierant et erant in terra, et vellet eos videre et scire cum ipsis si erat verum quod essent heretici vel non, et inducere si heretici erant quod converterentur. Et dicta testis respondit et dixit sibi quod postquam ipse ita volebat, placebat sibi quod videret eos.

Et post predicta per aliquos dies inter festum Penthecosten et sancti Iohannis, quadam nocte, illa hora qua gentes cenaverant et ibant cubitum, Ramundus Auterii frater dictorum hereticorum et Bonus Guilelmus spurius dicti Petri Auterii adduxerunt Petrum et Guillelmum Auterii hereticos predictos ad domum suam et dicti viri sui, que est iuxta castrum, et steterunt ibi dicti heretici XV diebus vel circa, ut sibi videtur, comedentes ibi (*En marge : Visio, Recepit.*)

- Interrogata quomodo habebant ea que erant eis necessaria pro victu suo, dixit quod Guilelmus maritus suus emebat eis, de pecunia tamen eorum.- Interrogata quid comedebant, dixit quod III diebus in septimana, videlicet die lune, die mercurii et die veneris ieunabant in pane et aqua, et aliis diebus comedebant panem et vinum et pices et fructus.- Interrogata si comedebant carnes, ova vel caseum, dixit quod non.- Interrogata quis parabat eis coquinam suam, dixit quod ipsimet, et habebant ollam et parobsides in quibus nullus comedebat nisi ipsi.- Interrogata si aliqua persona comedebat in mensa eorum, dixit quod non quod ipsa viderit.

Item dixit quod Guilelmus de Rodesio maritus suus predictus interrogavit, ipsa audiente, dictos Petrum et Guillelmum Auterii si erant heretici, qui responderunt quod erant de illis qui sic vocantur, et quod in partibus Lombardie facti fuerant heretici perfecti seu qui sic appellantur. Tunc dictus maritus suus dixit eis quod converterentur ad fidem nostram christianam, et ipsi responderunt quod non facerent, quia meliorem fidem et viam

salvationis eligerant et tenebant. Et dicebant quod ipsi tenebant viam Dei et apostolorum,

et nullus alias, nisi esset de fide et secta eorum, et habebant potestatem sanctorum Petri et Pauli, et potestatem salvandi animas, et quod nullus poterat salvari nisi per eos et in fide eorum.

- Interrogata quid fecit cum eis vel dixit, respondit quod edocta per ipsos fecit eis reverenciam et adoravit eos flexis genibus ter coram ipsis, (*En marge* : Adoratio) dicendo in qualibet genuflexione : "Boni christiani, la benediccio de Dieu e de vos autres", et dicti heretici respondebant : "Deus det vobis de suo bono et perducat vos ad bonam finem". – i - Interrogata qui erant presentes quando adoravit dictos hereticos, dixit quod nullus alias nisi ipsa et heretici predicti.

Item dixit quod ipsa, induta per ipsos hereticos, promisit eis quod si volebat mori in fide eorum et recipi in fide seu secta sua in fine, et si contingeret ipsam infirmari et esse in periculo mortis, mitteret pro eis et eos haberet si posset aliquo modo, quod eam hereticarent et reciperent in fide sua (*En marge* Conventio). – Interrogata si fuit in casu tali, videlicet in periculo mortis quod misisset pro ipsis hereticis, dixit quod non.- Interrogata si aliqua persona erat ibi presens quand fecit dictam conventionem dictis hereticis, dixit quod non, nisi ipsi heretici et ipsa que loquitur.

Interrogata si aliqua persona venit tunc ad domum suam ad videndum et visitandum dictos hereticos in illis XV diebus quibus fuerunt ibi, dixit quod non quod ipsa viderit, nisi dictus Ramundus Auterii frater eorum et Bonus Guillelmus spurius dicti Petri. Et ipsa et dictus maritus suus videbant eos qualibet die pluries, et stabant cum eis. – Interrogata quis abstraxit dictos hereticos de domo sua quando recesserunt, dixit quod Guillelmus de Area de Querio, ut credit, aliter nescit pro certo.

Item dixit quod anno predicto circa festum sancti Michaelis, predicti heretici quadam nocte redierunt ad domum F°22 v° suam et dicti viri sui apud Tarasconem (*En marge* : Visio) .- Interrogata quis adduxit eos, dixit se non recordari.- Interrogata si fuerunt ibi diu, dixit VIII° diebus vel circa, ut sibi videtur.- Interrogata de personis que venerunt ad domum suam ad videndum dictos hereticos, dixit quod Guillelmus Petri Cavaerii de Limoso, Philippus de Lernato domicellus, Petrus de Lusenacho et Guillelmus frater eius de Lusenacho, Ramoneta^a de Ramundo Bernardi; Arnaldus Issaura de Lernato, Arnaldus Boneti (*En marge* : Contra Ar. Boneti) et G. Boneti de Ax, Ramunda de Rodesio.

- Interrogata quid dixerunt vel fecerunt cum ipsis, dixit quod intraverunt quandam cameram ubi erant dicti heretici, et nescit, ut dixit, quid fecerunt, quia ipsa non erat continue cum eis in dicta camera, sed faciebat negotia sua per domum. Dixit tamen se vidisse quod Arnaldus Issaura predictus adoravit dictos hereticos secundum modum predictum.- Interrogata si aliqua alia persona vidit eos tunc, dixit quod non nisi ipsa testis et dictus vir suus.- Interrogata si ipsa vel dictus maritus suus tunc adoraverunt dictos hereticos, dixit quod non.- Interrogata quis abstraxit eos de dicta domo sua quando recesserunt, dixit se non recordari.

Item dixit quod post^b anno sequenti fuerunt bis dicti heretici in domo sua predicta, et venit cum eis Iacobus Auterii hereticus, filius dicti Petri Auterii.- Interrogata si fuerunt ibi diu, dixit quod una vice steterunt ibi VIII° diebus, et alia vice XV diebus vel circa, ut sibi

a. *Adde* : filiam.- b. *Corr.*: postea.- :

videtur, et comedebant et bibebant ibi de bonis que ipsa et dictus maritus suus eis emebant

ut supra.

- Interrogata de personis que viderunt dictos hereticos in domo sua predicta, dixit quod persone superius nominate et Arnaldus Auterii, filius Petri Auterii, et Gualarda filia Petri Auterii pluries, et Guillelma den Cot de Tarascone, et nullus alias quod ipsa viderit, nisi ipsa et dictus maritus suus.- Interrogata si adoravit eos vel vidit ab aliis adorari, dixit quod non nisi dicta Ramoneta que adoravit eos secundum modum predictum. Nec vidit, ut dixit, quid dicte persone dixerunt vel fecerunt cum dictis hereticis.- Interrogata quis adduxit eos vel abstraxit de domo predicta, dixit se non recordari.

Item dixit quod IIII*or* anni sunt elapsi vel circa, ut sibi videtur, aliter de tempore non plene recordatur, quod Petrus et Guillelmus et Iacobus Auterii heretici fuerunt in domo sua de platea apud Tarasconem. Dixit etiam quod III anni erunt in mense augusti proxime venienti quod dicti tres heretici et Pradas Tavernerii hereticus venerunt ad dictam domum suam, et steterunt ibi aliquociens III vel IIII*or* diebus et noctibus.- Interrogata si veniebant de die vel de nocte, dixit quod de nocte.- Interrogata quis adduxit eos ibi, dixit quod Arnaldus Martini et Guillelmus Martini de Iunhaco adduxerunt eos et abstraxerunt.- Interrogata que persone viderunt ici dictos hereticos, dixit quod Esclarmunda uxor Ramundi Auterii, Sebelia den Sutra, Atho de Furneria, Petrus de Galliaco gener ipsius testis, et ipsa et dictus maritus suus.

- Interrogata si vidit vel audivit quid dicte persone fecerunt vel dixerunt cum dictis hereticis, dixit quod non.- Interrogata si ipsa adoravit eos ibi, dixit quod semel adoravit eos ter flectendo genua et dicendo : "Boni christiani, benedictionem Dei et vestram peto" (*En marge* : Adoratio), dictis hereticis respondentibus : "Deus perducat vos ad bonum finem", ut supra.- Interrogata si dictus maritus suus adoravit eos, dixit quod non quod ipsa viderit.

Item dixit quod V anni vel circa sunt elapsi quod ipsa ivit ad balnea de Ax, et quadam die de qua non recordatur, in tempore Paschali, Guillamona den Garsen, mulier dicti loci, dixit ipsi testi quod Guillelmus Auterii et Pradas Tavernerii heretici erant in domo sua, si volebat ipsos videre. Et quadam nocte, dum ipsa testis et dicta Guillamona veniebant de dictis balneis ubi se balneaverant, iverunt ad domum ipsius Guillamone, et ibi vidit dictos hereticos et locuta fuit cum eis, dicens et petens ab eis si stabant bene et qualiter erat eis, et si volebant aliquid quod ipsa posset facere pro eis. Qui responderunt quod bene erat eis, et nichil aliud volebant.

- Interrogata qui erant ibi presentes, dixit quod dicta Guillamona et eius pater cuius nomen ignorat et Guillelmus Mathei de AX et Esclarmunda uxor Ramundi Auterii et ipsa testis et nullus alias quod ipsa viderit.- Interrogata si fecit eis aliquam reverenciam, dixit quod adoravit (*En marge* : Adoratio) eos ter, flectendo genua et dicendo : "Boni christiani, benedictionem Dei et vestram peto", ipsis hereticis respondentibus : "Deus vos perducat ad bonum finem" ut supra. – Interrogata si alie persone predicte adoraverunt eos, dixit quod Esclarmunda predicta *F° 23 r° (XXI)* adoravit eos secundum modum predictum, et non vidit quod alii predicti adorarent eos.

Item dixit quod VI anni et amplius sunt elapsi quod Geraldus de Rodesio sororius suus dixit sibi quod Petrus et Guillelmus Auterii heretici predicti erant in domo Arnaldi Piquerii de Tarascone, et ipsa testis et dictus Geraldus, quadam die de qua non recordatur, in estate, iverunt ad domum dicti Arnaldi et invenerunt et viderunt ibi dictos hereticos.

- Interrogata quid fecit vel dixit cum eis, dixit quod salutavit eos cum magna reverencia et peciit qualiter erat eis.- Interrogata si fecit eis aliam reverenciam, dixit quod adoravit eos ter, flexis genibus, dicendo : "Boni christiani, benedictionem Dei et vestram

peto", et dicti heretici respondebant : "Deus det vobis de suo bono, et parcat vobis". – Interrogata de astantibus, dixit quod Geraldus de Rodesio predictus, Arnaldus Piquerii et Mateldis uxor eius et dicta testis.- Interrogata si predicte persone adoraverunt dictos hereticos, dixit quod non.

Item dixit interrogata quod audivit a dictis hereticis quod dicebant quod non erat alia Ecclesia nisi sua, et quod Ecclesia romana nichil valebat, et quod ipsi soli qui erant, ut dicebant, Ecclesia Dei, habebant potestatem salvandi animas.

- Interrogata si comedit vel bibit cum ies, dixit quod non, sed habita consolatione cum ipsis et auditâ predicatione eorum et facta adoratione predicta recessit ab eis, et ipsi remanserunt in domo predicta.

Item dixit quod anno predicto in messibus, quadam die de qua non recordatur, ivit ipsa testis cum Ramunda filia sua ad domum dicti Arnaldi Piquerii ad videndum dictos hereticos, quos invenerunt ibi.- Interrogata quid fecit cum eis, dixit quod ivit ad faciendum eis reverenciam et adoravit (*En marge* : Adoratio) eos ter flexis genibus, dicendo ut supra, et dicti heretici similiter responderunt ut supra.- Interrogata de personis que erant ibi presentes, dixit quod Mateldis uxor dicti Arnaldi Piquerii, Ramunda filia dicte testis et nullus alias nisi ipsa et dicti heretici.- Interrogata si predicte persone adoraverunt dictos hereticos, dixit quod dicta filia sua, edocta per eam et per dictos hereticos, adoravit eos ter, dicendo "Bonni christiani, benedictionem Dei et vestram peto", et dicti heretici respondebant ut supra.

Item dixit quod V anni sunt elapsi vel circa quod ipsa testis cum Ramunda filia sua predicta ivit visum Guillelmum Auterii hereticum in domo Petri de Galliacho de Tarascone ubi erat. – Interrogata quomodo sciebat quod esset ibi, respondit quod Gualarda mater dicti Petri de Galliacho dixit et significavit ei.- Interrogata quid fecit cum eo, dixit quod salutavit cum maxima reverencia et adoravit eum ter, flexis genibus, ut supra (*En marge* : Adoratio) .- Interrogata de astantibus, dixit quod Petrus de Galliacho predictus, Ramunda filia dicte testis et ipsa testis.- Interrogata si predicte alie persone adoraverunt predictum hereticum, dixit quod non quod ipsa viderit.- Interrogata si audivit monitionem vel predicationem dicti heretici, dixit quod sic, et loquebatur dicendo omne malum de Ecclesia romana et laudando suam ut supra.

Item dixit quod ab VIII° annis citra diversis vicibus et temporibus Petrus et Guillelmus Auterii fratres, Iacobus Auterii filius dicti Petri, Pradas Tavernerii, Poncium filius Sebilie den Batle de Ax, Philippus et Ramundus de Talayracho de Constanciano heretici fuerunt et vident eos tam in domo sua que est iuxta castrum quam in domo de platea supradicta.- Interrogata quotiens vident eos ibi, dixit quod multociens, aliter non recordatur de numero, et dixit quod unus annus est elapsus quod Philippus et Ramundus de Talayracho heretici predicti fuerunt infra unum mensem in domo sua de platea predicta.- Interrogata si fuerunt ibi diu, dixit quod non nisi per aliquam horam.- Interrogata quis adduxit eos, dixit quod Guillelmus Carramat de Tarascone adduxit Raimudum de Talayraco hereticum predictum, et nescit quis adduxit alium, ut dixit.

- Interrogata de personis qui viderunt dictos duos hereticos ibi, dixit quod na Gaya, uxor Ramundi Fabri et Ramunda filia ipsius testis et ipsa testis.- Interrogata quid fecerunt cum dictis hereticis, dixit quod audiverunt predicationem et monitionem eorum, loquendo de apostolis et de Evangelii multa verba de quibus non recordatur. Et ipsa, ut dixit, adoravit eos (*En marge* : Adoratio) ter, flexis genibus, dicendo : "Bonni christiani, la benedictio

de Dieu e de vos autres", et ipsi respondebant : Deus vos benedicat et perducat vos ad

bonum finem". Et nescit, ut dixit, si alie persone adodraverunt eos vel non.- Interrogata de personis que viderunt predictos alias hereticos in domibus suis predictis, dixit quod persone per eam superius nominate, et non alie quod possit recordari.

Item dixit quod VII anni sunt vel circa elapsi quod ipsa testis, quadam die de qua non recordatur, ivit apud Querium pro negociis, et Guillelma de Area dicti loci dixit sibi quod Petrus et Guillelmus Augterii heretici predicti erant in domo sua predicta. Et statim ivit ipsa que loquitur ad domum predictam, et vidit ibi dictos hereticos.- Interrogata quid fecit cum eis, dixit quod salutavit eos cum magna reverencia, et adoravit eos ter, flectendo genua et dicendo ut supra (*En marge* : Adoratio).- Interrogata de astantibus, dixit quod dicta Guillelma de Area, dicta testis et dictus hereticus et nullus aliis.- Interrogata si remanserunt ibi dicti heretici quando ipsa recessit, dixit quod sic.

Item dixit quod circa festum sancti Michaelis mensis septembbris erit annus quod Guillelmus Arnaldi de Castro de Ravato quadam die martis venit apud Tarasconem ad domum ipsius testis, et dixit sibi quod Bernardus frater suus erat infirmus ad mortem, et volebat habere hereticos in fine et recipi per eos, et si habebat aliquem in domo sua vel sciebat ubi posset invenire, quod diceret sibi. Que respondit ei quod nullum hereticum tunc habebat nec sciebat, et vocavit Arnaldum Martini de Iunhaco quod loqueretur cum dicto Guillelmo Arnaldi, dicens ipsa testis predicto Guillelmo Arnaldi quod cum dicto Arnaldo Martini forte posset invenire nova de hereticis et facere quod volebat. Et locuti fuerunt ambo ad partem.

Postque dominica sequenti ipsa testis et Gaya uxor Ramundi Faure de Tarascone iverunt apud Ravatum ad domum dicti Guillelmi Arnaldi de Castro, et invenerunt mortuum Bernardum fratrem suum predictum, et erat in ecclesia quem volebant sepelire. Et cum fuit sepultus, ipsa testis et dicta Gaya redierunt ad domum dicti Guillelmi Arnaldi. Et cum irent per ipsam domum, in quadam paleario viderunt Guillelum Auterii predictum, et cum ipso Arnaldum Martini, quem hereticum ipsa interrogavit si fecerat illud ad quod venerat (volens dicere, ut dixit, si hereticaverat dictum Bernardum de Castro deffunctum, qui hereticus respondit per pagadi nontinem^a (*En marge* : Hereticatio de auditu).

- Interrogata si ipsa testis vel dicta Guaya adoraverunt dictum heticum, dixit quod non, quia prandebat tunc, sed statim recesserunt de eo et redierunt apud Tarasconem ad domum suam.

Item dixit quod V vel VI anni sunt elapsi, ut sibi videtur, quod vedit (*En marge* : Vi.) in domo Sebilie den Batle de Ax Petrum vel Guillelum Auterii hereticos, alterum de duobus, et cum illo erat Pradas Tavenerii hereticus.- Interrogata quare ivit ibi, dixit quod ad videndum dictos hereticos.- Interrogata quis dixit sibi quod essent in dicta domo, dixit quod Esclarmunda uxor Ramundi Auterii dicti loci.- Interrogata quid fecit vel dixit cum dictis hereticis, dixit quod salutavit eos cum magna reverencia et peciit qualiter erat eis.- Interrogata si adoravit eos, dixit quod sic, ter, flectendo genua et dicendo ut supra : "Bonii christini, la benedictione de Dieu e de vos autres", dictis hereticis respondentibus ut supra.- Interrogata de astantibus, dixit quod Sclarmunda predicta et Gualarda uxor Guillelmi Auterii heretici et dicta Sebilie et dicta testis et dicti heretici.- Intgerrogata si dicte mulieres adoraverunt dictos hereticos, dixit quod sic, excepta dicta Sebilie, flectendo genua coram eis et dicendo : "Bon christiani, benedictionem Dei et vestram" (*En marge* : Adoratio), et dicti heretici respondebant : "Deus vos benedicat et perducat vos ad bonum finem".

a. *Sic. Corr.*: pagandi, *vel* peragendi notionem ?

Item dixit quod V anni vel circa sunt elapsi quod ipsa quadam die de qua non

recordatur, in tempore paschali, ut sibi videtur, ivit ad domum cuiusdam textoris de Ax cuius nomen dixit se ignorare, quod faceret sibi canas mapas^a, et vidi ibi (*En marge* : Vi.) Guillelmum et Petrum Auterii hereticos predictos et cum eis Esclarmundam uxorem Ramundi Auterii et duos homines et unam mulierem de hospicio quorum nomina ignorat.- Interrogata quid fecit vel dixit cum dictis hereticis, dixit quod salutavit eos et adoravit (*En marge* : Adoratio) ter, flexis genibus, ut supra.- Interrogata si alie persone predicte adoraverunt eos, dixit quod non quod ipsa viderit.

Interrogata si unquam dedit aliquid hereticis vel heretici dederunt aliquid ei, dixit quod dedit Guillelmo Auterii heretico predicto duos cannas de lencio, et Iacobo Auterii heretico dedit quedam manutergia. – Item dixit quod habuit a dictis hereticis iocalia, videlicet pectines et cultellos, et quadam vice miserunt cuidam filio suo puero unum bliaudum, et dederunt, ut dixit, Guillelmo de Rodesio viro suo X Turonenses albos.- Item dixit quod multociens comederunt et biberunt in domo susa de bonis dicti viri sui, et ipsa faciebat eis quicquid poterat servicii et honoris, et ipsi dabant ei de pecunia sua aliquociens VI denarios, aliquociens XII.

F° 24 r° (XXX) Item dixit quod Guillelmus Augerii de Tarascone misit ad domum dicte mulieris dictis hereticis per Ramundetam de Ramundo Bernardi dicti loci unam quarteriam frumenti in uno sacco.

Item dixir se audivisse dici (*En marge* : De auditu) a Petro Auterii heretico, IX^b anni vel circa sunt elapsi, quod quedam mulier de Constanciano cuius nomen ignorat, que dimiserat maritum suum et fugerat ad partes Savartesii misit se ad enduram in domo Sebilie den Batle de Ax, et ibi mortua est, est audivit dici a dicto heretico et quibusdam credentibus hereticorum quod XII septimanas vel circa antequam moreretur stetit in endura.

Item dixit quod duo anni vel circa sunt elapsi quod Guillelmona den Carramat de Tarascone, spuria Petri Auterii, dixit sibi quod Petrus Auterii hereticus pater suus erat in villa in domo Arnaldi Piquerii, et quod libenter videdret eam.- Interrogata si vidi eum tunc, dixit quod non, sed dixit dicte Guillamone quod salutaret eum sibi.

Item dixit se audivisse dici a Guillelmo Hugonis de Savarduno quod Iacobus Hugonis pater ipsius Guillelmi, III anni vel circa sunt elapsi, fuit hereticatus et receptus per hereticos ad Sanctum Paulum de Ierrato ubi decessit.

Item dixit se audivisse dici a Ramoneta de Ramundo Bernardi quod Ramunda uxor Petri de Area fuit recepta per hereticos et mortua in fide eorum.

a. Corr.: lineas mappas ? – b. Corr.: IV.-

Interrogata si audivit loqui dictos hereticos contra Ecclesiam romanam vel fidem

catholicam, de sacramentis ecclesiasticis, videlicet de baptismo, de matrimonio, de sacrificio misse seu corpore Christi, vel de quibuscumque aliis que sunt contra fidem Ecclesie romane (*En marge* : Errores), dixit quod sic. Et dicebant, ut dixit, quod Ecclesia romana nichil valebat, nec habebat aliquam potestatem apud Deum, quia ipsa mentitur et sustinet omne malum et omne peccatum, et nullus qui sit in peccato habet potestatem absolvendi seu remittendi peccata. Sed ipsi soli qui tenent, ut dicebant, viam Dei et non menciantur et sunt sine peccato, sunt Ecclesia Dei et habent potestatem absolvendi et salvandi animas. Et nullus nisi transeat per manus suas potest venire ad salvationem.

Item dicebant quod Deus non instituit matrimonium, et quod maius peccatum est quando maritus iacet cum uxore sua carnaliter quam si peccaret cum alia muliere, quia publice et sine verecundia peccat cum uxore, et occulte facit peccatum suum cum aliis mulieribus.

Item dicebant quod baptismus institutus per Ecclesiam romanam nichil valet nec prodest homini, ymmo nocet, quia facit flere pueros. Sed baptismus quem ipsi heretici faciunt valet, ut dicebant, videlicet quando recipiebant personas in fide et secta sua, quia tunc est Sanctus Spiritus in illis personis receptis per eos, solummodo quod postea non redeant ad peccatum nec menciantur.

Item dicebant, ut dixit, quod sacrificium misse nichil valet nec est credendum in aliquo quod dicant capellani in missa nec aliqua fides adhibenda, et quod ostia consecrata per capellanum, ut dicebant, non erat corpus Christi, ymmo erat pasta, et nullus debebat credere quod illa pasta seu illa ostia esset corpus Christi, quia opus manuum est et non opus Dei.

Item dicebant, ut dixit, quod nullus debebat se signare nec habere fidem in cruce quod posset salvare hominem, ymmo homo debebat spuere contra eam et facere omnem vilitatem, quia Deus fuit ibi positus, clavellatus, sputus et mortuus.

- Interrogata si credidit quod heretici essent boni homines et sancti et tenerent bonam viam et bonam fidem et quod homo posset salvari per eos et in fide eorum, et si credidit eorum erroribus quos dicebant de sacramento Ecclesie et aliis supradictis, dixit quod sic (*En marge* : Credencia) et fuit in illa credencia, ut dixit, ab illo tempore citra quo fecit conventionem predictam dictis hereticis usquequo fuit capta per inquisidores. Sed postea recognovit errorem suam et peccatum, et Dominus illuminavit eam, et cognoscebat quod perdebat corpus et animam, et habuit F° 24 v° voluntatem et proposigtum confitendi et dimittendi illam malam viam et credenciam hereticorum in qua erat, et penitet multum et dolet, ut dixit, quia unquam credidit hereticis et erroribus eorum. Et modo, ut dicit, non credit nec crebet de cetero, sed vult vivere et mori in fide quam Ecclesia romana tenet et predicit, et petit veniam, absolutionem et misericordiam de predictis per eam commissis.

Item dixit quod VIII^o vel cirea sunt elapsi, ut sibi videtur, quod Flors, mulier de

Ravato, quadam die de qua non recordatur, venit ad ipsam testem apud Tarasconem, petens ab ea si sciebat ubi posset invenire de illis bonis christianis, volens dicere, ut dixit, de hereticis, quia Bernarda Mira, mater sua, infirmabatur graviter, et volebat ipsos hereticos in fine suo et recepi per eos in fide sua (*En marge* : Hereticationes de auditu) Tunc ipsa testis dixit et respondit predicte Flors quod credebat quod Guillamonus de Area de Querio sciebat vel scire debebat de illis bonis christianis invenire, et consulebat quod loqueretur cum dicto Guillelmo. Post que, transactis tribus mensibus vel circa, ipsa testis quadam die vidit dictam Flors apud Tarasconem in domo sua, et dixit sibi quod dicta mater sua, procurante dicto Guillamono habuerat hereticos in dicta infirmitate sua, et fuerat recepta per eos in fine sua. Et postquam fuit recepta, posuit se et stetit in endura donec fuit mortua, ita quod nichil comedebat vel bibebat nisi aquam..- Interrogata si dicta Flors dixit sibi per quos hereticos fuit recepta dicta infirma vel qui fuerunt dicte receptioni, dixit quod non, nec ipsa testis interrogavit eam de hoc.

Item dixit se audivisse dici a Pradas Tavernerii hertico IIIIor anni sunt vel circa sunt elapsi quod ipse receperat in fide sua Perum Amerii de Ravato in infirmitate de qua obiit, et hoc scivit uxor dicti infirmi, et dixit dictus hereticus ipsi testi quod tenebatur absconsus apud Ravatum in quadam archa.

Item dixit quod Guaya uxor Ramundi Fabri de Tarascone dixit ipsi testi quod Mathea den Puials de Ravato fuit recepta per hereticos in infirmitate de qua obiit, circa festum sancti Michaelis proxime venturum erit annus..- Interrogata si dixit sibi per quos hereticos, dixit quod per Philippum de Talayracho hereticum.- Interrogata si dixit sibi personas que fuerant dicte receptioni, dixit quod non.

Item dixit quod Mathea de Ravato et Ermengardis den Suc de Tarascone ipsa presente viderunt hereticos in domo ipsius testis apud Tarasconem III vel IIIIor anni sunt elapsi, quadam die de qua non recordatur. – Interrogata qui erant dicti heretici, dixit quod duo de illis quos supra nominavit, aliter non recordatur dc nominibus eorum..- Interrogata quid fecerunt cum dictis hereticis, dixit quod dederunt eis pecuniam, tamen nescit quantum, ut dixit..- Interrogata si vidi quod adorarent eos, dixit quod non.

Item dixit quod VI anni et amplius sunt elapsi quod Sibilia, mater Philippi de Lernato, quadam die de qua non recordatur, venit ad domum ipsius testis, interrogans eam si erant ibi heretici, dicens ei quod volebat eos videre. Et ipsa que loquitur respondit quod in quadam camera dicte domus erant (*En marge* : Receptio). Tunc dicta Sibilia dixit ipsi testi quod absentaret se a presentia eius, ita quod non videret eam intrare cameram supradictam, quod et fecit dicta testis. Et tunc dicta Sibilia fuit et stetit per magnam pausam in dicta camera cum dictis hereticis, et nescit quid fecit, ut dixit, cum ipsis..- Interrogata qui erant illi heretici, dixi quod videtur sibi quod Petrus et Guilelmus Auterii, aliter non bene recordatur.

Item dixit quod Ramundus Issaura de Lernato, nuper quando ipsa et dictus Ramundus erant capti apud Fuxum, dixit sibi quod a festo Natalis Domini citra Guilellma den Gosi et Sebilia den Manglos, sorores de Lernato fuerunt recepte per hereticos in fine earum in suis infirmitatibus de quibus mortue sunt. – Interrogata si dixit per quem vel quos hereticos fuerunt recepte, et qui fuerunt receptioni earumdem, dixit quod non.

Interrogata si vidi alibi hereticos vel fecit plus cum eis, dixit quod non quod

recordetur modo, nisi prout supra depositit.

Et iuravit et abiuravit omnem heresim et fuit reconciliata.

F° 25 r° (XXXI) Hoc depositit anno, die et loco predictis coram predicto locum tenente predicti domini inquisitoris, in presencia et testimonio Fratrum Poncii de Massilia, Poncii de Cornelano, Guillelmi Boerii ordinis Fratrum Predicatorum conventus Carcassone, magistri Iacobi de Poloniacho rectoris Ecclesie de Caunetis, et mei Guillelmi Ramundi, notarii publici officii Inquisitionis, qui predictis interfui et recepi et scripsi.

Postque anno Domini M^oCCC^o nono, XIII kls madii, predicta Blanca uxor Guillelmi de Rodesio de Tarascone, alias per dominum inquisitorem mandata, veniens et coram eodem inquisitore, scilicet Fratre Gaufrido de Ablusiis in domo Inquisitionis in Civitate Carcassone in iudicio constituta, iuravit ad sancta Dei Evangelia dicere puram et plenam veritatem super facto heresis et nullam immiscere falsitatem, requisita per dictum inquisitorem quod diceret veritatem sicut iuraverat. Dixit et confessa fuit quod alias fecerat confessionem de hiis que commiserat in heretica pravitate coram Fratre Iohanne de Felgosio locum tenente dicti inquisitoris, que confessio fuit sibi lecta et recitata intelligibiliter in vulgari per me notarium infrascriptum.

Ad cuius declarationem et completionem dixit et confessa fuit quod :

Satis cito postquam Petrus et Guillelmus Auterii heretici fuerant in domo ipsius que loquitur, que domus est iuxta castrum de Tarascone, ipsa que loquitur dixit Guillelmo de Area de Querio quod predicti Guillelmus et Petrus Auterii heretici redierant ad terram et quod erant boni homines et bone gentes, et tenebant bonam fidem, et quod per eos et fidem eorum poterat homo venire ad salvationem, (per hoc intendens, ut dixit, predictum Guillelmum inducere ad amorem et familiaritatem dictorum hereticorum), et quod quesivit a predicto Guillelmo de Area si volebat servire predictis hereticis, qui Guillelmus de Area respondit quod sic.

Item dixit et confessa est et adiecit confessioni sue predicte quod novem seu decem anni sunt elapsi vel circa, ut sibi videtur de tempore, quod Petrus et Guillelmus Auterii, qui tunc erant in domo ipsius que loquitur iuxta castrum Tarasconis, dixerunt ipsi que loquitur quod ipsa diceret Esclarmonde den Guavaret quod ipsi libenter viderent eam et loquerentur cum ea. Et^a quod ipsa que loquitur dixit ex parte dictorum hereticorum Esclarmonde predicte (*En marge : Contra Esclarmondam den Gavarret*). Cui Esclarmonda predicta respondit quod non erat sibi opus videre eos, quia alias habuerat penitentiam pro facto heresis.

Item dixit et confessa fuit quod quadam tempore post predicta, quasi per XV dies vel circa, ut sibi videtur de tempore, predicta Esclarmonda misit dictis hereticis per ipsam que loquitur unam canam plenam vino et unum panem dictum tonhol, item alia vice racemos vocatos brometz, quos tradidit ipsi que loquitur in quadam scutella picta. Que omnia ipsa que loquitur portavit dictis hereticis ex parte dicte Esclarmonde. Et heretici responderunt ! "Deus det ei bonam mercedem".

a. Et rajouté par erreur.-

Item quadam vice circa illud tempus dicta Esclarmonda dixit ipsi que loquitur quod

diceret dictis hereticis quod quando et si audirent quod proicerentur lapides ad fenestram sotuli in quo stabant dicti heretici in domo ipsius que loquitur, quod ipsi heretici apperirent et venirent ad fenestram, et quod ipsa que loquitur dixit hoc dictis hereticis ex parte dicte Esclarmonde, qui heretici responderunt quod bene facerent.

Item dixit et confessa fuit quod Guillelmus de Area de Querio dixit ipsi que loquitur quod Ramoneta, uxor quondam Ramundi Fabri de Tarascone fuit hereticata et in sectam hereticorum recepta per Pradas Tavernerii, ut sibi videtur de heretico (*En marge : Her. De auditu*), ipso Guillelmo de Area et Ermengarde Ranada habitatrice de Tarascone presentibus, prout ipsa que loquitur dixit se audivisse a dicto Guillelmo de Area.- Interrogata de tempore hereticationis et auditus predictorum, respondit quod inter festum Circumcisionis Domini et festum sancti Vincentii proxime preterita fuerunt IIIIor anni ut sibi videtur. De die non recordatur, ut dixit.

Item dixit et confessa fuit quod Guillelmus Arnaldi de Castello de Ravato, consanguineus ipsius que loquitur, quesivit ab ipsa que loquitur, postquam confessus fueat Carcassone de heresi, si ipsa discooperierat et revelaverat eum, cui ipsa respondit quod non. Cui dictus Guillelmus dixit quod non timebat sibi de ea, et ipsa que loquitur dixit quod non oportebat eum timere, sed consulebat ei quod ipse Guillelmus diceret veritatem de facto suo, ut dixit.

Item dixit et confessa est quod circa festum Omnium Sanctorum nuper preteritorum fuerunt IIIIor anni, ut sibi videtur de tempore, Condors, $F^{\circ} 25 v^{\circ}$ soror Guillelmi Arnaldi de Castello de Ravato, que est uxor Ramundi del Vernet, rediens de Ravato transiens prope Tarasconem misit pro ipsa que loquitur quod exiret sibi obviam iuxta pontem de Tarascone, cui ipsa que loquitur et Gaya sua consanguinea exierunt ad dictam Condors ad locum predictum. A quibus dicta Condors petivit si essent ibi aliqui heretici, quia volebat eos videre, ut dicebat. Cui ipsa que loquitur dixit quod non erant in villa quod ipsa sciret. Et tunc dicta Condors tradidit ipsi que loquitur duos solidos cum dimidio Regalium, et dixit ei quod daret hereticis predictis, quos vocabat bonos homines seu dominos. Quod et fecit. Non recordatur, ut dixit, quibus hereticis dedit.

Item dixit et confessa est quod Gaya, uxor Ramundi Fabri de Tarascone, fuit cum ea quando vidi hereticos apud Querium in domo Guilellmi de Area de Querio, et quod eos adoravit dicta Gaya ibidem sicut dixit (*En marge : Adoratio*).

Item dixit et confessa fuit quod Ramundus Yssaura dixit ei, cum essent in prisione apud Fuxum, quod Sebelia Milgosa fuit hereticata in domo Philippi de Larnato apud Larnatum, et G. Gosina in domo sua propria (*En marge : Heret. De auditu*).

Item dixit et confessa est quod Guillelma uxor Bernardi Tornerii et Guirauda eius filia de Tarascone viderunt hereticos semel in domo ipsius que loquuntur de platea de Tarascone. Non tamen vidit, ut dixit, quod adoraverint dictos hereticos vel aliud fecerint cum eis, sicut dixit, ibidem.- Interrogata de nominibus hereticorum, dixit quod erant Guillelmus et Iacobus Auterii heretici.- Interrogata de tempore et die, dixit se non recordari. De hora dixit quod mane.

Item dixit et confessa est quod Bernardus Tornerii de Tarascone vidi in domibus

ipsius que loquitur de castro et de platea Tarasconis hereticos supradictos et alios pluribus vicibus, saltem tribus, et pluribus temporibus, de quibus temporibus dixit se non recordari.

Item dixit et confessa fuit quod in mense augusti seu septembbris proxime preteritis fuerunt tres anni, ut sibi videtur de tempore, videlicet parum antequam Iacobus Auterii et Pradas Tavernerii fuissent capti, existentibus in domo sua de platea Tarasconis Guillelmo Auterii et Iacobo Auterii seu Pradas Tavernerii hereticis, venit ad ipsam que loquitur Blanca uxor Guillelmi de Anhaus, et petivit ab ipsa que loquitur si ipsa habebat hereticos in domo sua, et an ipsos videre posset. Et tunc ipsa que loquigur respondit quod dicti heretici erant in domo sua predicta. Dixit tamen quod non ostenderet eos ei propter multitudinem gentium que erant in dicta platea propter forum quod erat ibi dicta die. Timebat ei ne alii supervenientes viderent eos, sicut dixit.

Interrogata si alias vel alibi vidit hereticos vel aliquam aliam participationem seu familiaritatem habuit cum eis, dixit quod non quod recordetur. Dixit tamen et protestata fuit quod admittatur ad confitendum si de pluribus rccorderetur in facto heresis commisisse.

Interrogata si predicta seu aliquid predictorum dixit seu confessa fuit propter minas sive metu tormentorum; item si inducta prece, precio, odio vel timore seu favore cuiusquam, dixit et confessa est quod non..- Item si premissa confessa fuit vel dixit edocta vel informata per aliquem, dixit quod non..- Item interrogata si fuerunt facta seu illata sibi tormenta aliqua ad extorquendum confessionem et depositiones seu additiones predictas quas fecit, respondit quod non, sed omnia supradicta et singula predictorum dixit et confessa fuit non per deceptionem seu erorrem aliquam, sed quia sic se habet veritas in omnibus et singulis supradictis et propter exonerationem sue conscientie et salutem anime sue.

Interrogata si vult dicere seu proponere aliquid nunc vel alias ad sui deffensionem vel relevationem, seu aliquid per quod predicta sua confessio aliquo tempore possit annullari, cassari seu irritari in aliquo vel infrangi, respondit quod non, sed in omnibus et singulis confessatis et dictis per eum vult et intendit perseverare et stare et in nullo unquam contravenire, renuncians (*En marge* : Renunc.) ex tunc ex certa scientia et consulte, non inducta nec circumventa, omni deffensioni iuris et facti et omnibus aliis per que posset eius confessio et additio predicte annullari, cassari, irritari in aliquo vel infrangi, supponens se misericordia et voluntati et iudicio inquisitoris predicti et successorum eius in officio, et petens sibi pro premissis per eum commissis iniungi penitentiam salutarem. Et habuit quantum in se est pro concluso et renunciato in causa presenti.

Actum fuit hoc anno, die et loco predictis, presentibus nobilibus viris dominis Mayolo Rebutini milite, vicario Carcassone, Petro de Macherinci milite, constabulario Civitatis Carcassone, Frisco Ricomann Legum professore, Guillelmo de Villaspassans, Arnaldo Salvatoris canonicis Ecclesie Carcassone, Fratribus Iohanne de Felgosio, Geraldo de Blumaco, Iohanne Stephani ordinis Predicotorum, magistris Petro Vitalis, Guillelmo de Locis iurisperitis, Iacobo de Poloniacho, testibus ad premissa vocatis et rogatis. Et ego Petrus Boerii de Carcassona, publicus Regia et Imperiali auctoritate et officii Inquisitionis notarius predictus interfui et ea recepi et scripsi et signo meo signavi.

Infra fo. CXLI

ALAMANDA DE SOS

F° 26 r° (XXXII) Anno Domini M°CCC° octavo et IIII mensis augusti Alamanda, uxor quondam Arnaldi de Sos de Tarascone dyocesis Appamiensis adducta capta, constituta in iudicio coram Fratre Iohanne de Felgosio ordinis Fratrum Predicotorum, tenente locum religiosi viri Fratris Gaufridi de Ablusiis eiusdem ordinis, inquisitoris hertice pravitatis in regtodiis Muri Carcassone, iurata ad sancta Dei Evangelia super facto heresis de se ut principalis et de aliis vivis et mortuis ut testis^a

Dixit quod III vel IIII anni possunt esse, ut sibi videtur, cum ipsa testis et Matheldis soror sua, uxor Arnaldi Piquerii de Tarascone, in die Pasche mane venissent de ecclesia et esset ipsa testis in domo sua, dicta Matheldis dixit sibi si volebat videre pulcas gentes valde. Cui ipsa testis respondit quod libenter, et statim dicta Matheldis duxit ipsam testem in domum suam, et ibi ostendit sibi duos homines quos ipsa testis, ut dixit, non cognovit tunc, nec ante viderat eos.

- Interrogata si salutavit eos vel locuta fuit cum eis, dixit quod non, sed statim rediit ad domum suam quia hora erat prandendi.- Item interrogata si predicta Mateldis revelavit sibi quod dicti duo homines essent heretici, dixit quod non tunc.

It'em dixit quod post predicta per aliquod tempus de quo non plene recordatur, ut dicit, quadam die de qua dicit se non recordari, venit ad domum ipsius testis soror sua et dixit sibi quod^b volebat videre illos gentes quas ante viderat in domo sua, et ipsa testis respondit quod sic.- Et tunc ambe sorores venerunt ad domum dicte Matheldis uxor Arnaldi Piquerii que ostendit sibi predictos duos homines, et dixit sibi quod ipsi erant de illis bonis hominibus qui dant salutem gentibus (*En marge : Visio*).

- Interrogata si ipsa testis salutavit dictos bonos homines et si locuta fuit cum eis, dixit quod non.- Item interrogata si aliquam reverenciam fecit eis, dixit quod dicta Matheldis soror sua docuit eam et instruxit quod flecteret genua ter coram dictis bonis hominibus, quod et fecit (*En marge : Adoratio*) ipsa testis.- Item interrogata si dixit aliquid quando flexebat genua coram eis, dixit quod sic : "Boni christiani, la benedictio de Dieu e de vos autres".- Item interrogata si audivit nominari dictos duos homines, dixit quod audivit a dicta sorore sua quod unus vocabatur Petrus Auterii et alias Guillelmus Auterii fratres.- Item interrogata si audivit ab aliquo tunc quod essent de illis qui vocantur heretici, dixit quod dicta soror sua dixit ei tunc quod erant boni homines, de illis videlicet qui vocantur heretici.- Interrogata qui erant ibi presentes, dixit quod dicta soror sua et ipsa testis et dicti heretici, et nullus alias.

a. *Adde* : dicere veritatem.- b. *Adde* : si.-

- Interrogata si audivit predicationem et monitionem eorum loquendo aliquid contra

Ecclesiam romanam et fidem catholicam et contra sacramenta ecclasiastica, videlicet de sacrificio misse, de baptismo et de matrimonio, dixit quod sic.- Interrogata quid dicebant de Ecclesia romana (*En marge* : Erroris), dixit quod dicebant quod nichil valebat et quod non habebat potestatem absolvendi vel salvandi, et quod Ecclesia sua erat bona et verax, et ipsi heretici erant Ecclesia Dei et tenebat viam et fidem Dei et apostolorum, et quod nullus poterat salvari nisi teneret fidem et sectam eorum, et nisi transiret per manus eorum et moreretur in secta sua. Item dicebant quod sacrificium misse nichil valebat, et ostia consecrata per capellanum in missa non erat corpus Christi, ymmo erat panis factus de pasta frumenti, et de talibus ostiis seu pane homo comederet satis.- Item dicebant quod baptismus nichil valebat, nec proficiebat in aliquo homini, et nullus erat christianus nisi transiret per manus suas. – Interrogata si audivit ipsos loqui de matrimonio, dixit se non recordari.- Item audivit, ut dixit, dictos hereticos loquentes, vituperantes et contempnentes quicquid fiebat vel dicebatur in ecclesia per capellanos et clericos.

F° 26 v° Item dixit quod promisit dictis hereticis se velle recipi (*En marge* : Conventio) per eos vel alios antequam moreretur in infirmitate de qua evadere non posset, et mori in fide et secta eorum, et quod si contingaret ipsam infirmari et esse in periculo mortis, mitteret pro ipsis hereticis et haberet eos si posset aliquo modo, quod reciperent eam in sectam suam et hereticarent, quia in fide eorum et per eos credebat (*En marge* : Cred.) et sperabat salvari.

Item dixit quod modo sunt III anni vel circa elapsi quod Iacobus Auterii hereticus venit ad domum ipsius testis solus, et stetit ibi VIII diebus vel circa (*En marge* : Recep.).- Interrogata ubi habebat ea que erant sibi necessaria pro victu, dixit quod vendebat ei de vino suo et emebat sibi panem et fructus de pecunia tamen dicti heretici.- Interrogata quis parabat sibi coquinam quam comedebat, dixit quod ipsem, et nolebat quod aliquis alias poneret seu generet ibi manum.- Ingerrogata quid comedebat, dixit quod panem et vinum et fructus et coquinam paratam cum oleo III diebus in septimana, et aliis diebus ieunabat in pane et aqua.

- Interrogata quis abstruxit eum de domo sua predicta et quo ivit quando exivit, dixit quod quadam die servientes domini Comitis Fuxi venerunt ad domum ipsius testis ad petendum ibi quandam quarteriam Arnaldi de Suc de Tarascone que dicebatur esse falsa, et tunc dicti servientes intraverunt per unam portam et dictus Iacobus hereticus, timens quod caperetur ibi, cum timore maxima exivit dictam domum per aliam portam. – Interrogata de personis que viderunt dictum hereticum stantem in domo sua predicta, dixit quod Mateldis soror sua predicta, Arnaldus Piquerii de Taraschone et ipsa testis. – Interrogata si adoravit dictum hereticum vel vidit ab aliis adorari, dixit quod non.

Item dixit quod tempore predicto Guillelmus Auterii hereticus predictus quadam nocte exiens de domo Arnaldi Piquerii venit ad domum ipsius testis, et stetit ibi illa nocte (*En marge* : Recep.) et totam diem crastinam. Et alia nocte sequenti recessit ad domus dicti Arnaldi Piquerii.- Interrogata que persone viderunt dictum hereticum in domo sua, dixit quod Guillelmus de Rodesio notarius de Tarascone et ipsa testis et nullus alias. – Intgerrogata si adoravit dictum hereticum vel vidit quod dictus Guillelmus adoraret eum, dixit quod non.

Item dixit se vidisse (*En marge* : Visio) tempore predicto in domo Matheldis sororis

sue de Taraschone Iacobum Auterii hereticum predictum, et cum ipso dictam Matheldim sororem suam et nullum alium.- Interrogata quid fecit cum dicto heretico, dixit quod venit ad faciendum ei reverenciam (*En marge* : Adoratio) et adoravit eum tunc ter flexis genibus, dicendo : "Bo crestia, la benedic和平 de Dieu e de vos", et dictus hereticus respondebat : "Deux vos benedic和平 et perducat ad bonum finem".

Item dixit quod IIIIor anni fuerunt circa festum Omnium sanctorum proxime preteritum, ut sibi videtur, quod Matheldis soror sua infirmabatur apud Taraschonem in domo sua ea infirmitate de qua obiit, in qua infirmitate Pradas Taverfnerii quadam nocte dictam Matheldim recepit in sectam suam et eam hereticavit (*En marge* : Hereticatio).- Interrogata de modo hereticationis, dixit quod dictus hereticus tenebat quendam librum super caput dicte infirme in quo legebat quedam verba de quibus non recordatur, nec dicta verba poterat, ut dixit, bene intelligere, quia sumissa voce legebat.- Interrogata qui erant ibi presentes, dixit quod ipsa testis et dicta Matheldis hereticata et dictus hereticus et nullus aliis..- Interrogata si adoravit tunc dictum hereticum, dixit quod non. – Interrogata si dicta Matheldis requisivit dictum hereticum quod reciperet eam, dixit quod non tunc, quia non poterat loqui, sed primo dum loquebatur rogaverat ipsam testem quod haberet sibi hereticos qui hereticarent eam.

Item dixit quod anno predicto circa festum Ntalis Domini Guillelmus Augerii pater suus fuit hereticatus (*En marge* : Hereticatio Guillelmi Augerii) apud Taraschonem (+ in domo sua *exponctuē*) in illa infirmitate de qua obiit, et quidam hereticus cuius nomen ignorat, quem Arnaldus Piquerii dicti loci fecit venire, ut dixit, ad dictum infirmum, hereticavit eum et in sectam suam recepit quadam nocte profunda, et dextraxerunt eum in carriera, ut illi qui erant in domo non viderent dictum hereticum nec scirent hereticationem predictam, quia dictus hereticus non audebat se ostendere aliis personis que erant in domo predicta.- Interrogata de modo hereticationis seu receptionis huiusmodi, dixit quod dictus hereticus F° 27 r° (XXXIII) tenebat super caput dicti infirmi quendam librum in quo legebat quedam verba que ipsa testis non poterat intelligere, ut dixit, et facta dicta hereticatione dictus hereticus recessit, et nescit quo ivit, ut dixit.

- Interrogata que persone erant presentes quando predictus G. Augerii pater suus fuit hereticatus, dixit quod ipsa testis, quia firmaverat ostium quod nullus poterat intrare vel exire nec videre quid faciebant, et nullus alias erat ibi nisi dictus infirmus hereticatus et dictus hereticus.- Interrogata si adoravit dictum hereticum, dixit quod non.- Interrogata si dictus infirmus hereticatus petivit hereticos qui hereticarent eum in fine suo, dixit quod sic, dum poterat loqui, et erat in bona memoria constitutus, et rogavit ipsam testem quod haberet aliquem hereticum qui reciperet et hereticaret eum antequam moreretur, propter quod ipsa procuravit cum dicto Arnaldo Piquerii quod dictus hereticus venit et hereticavit dictum patrem suum.

Iuravit stare mandatis Ecclesie et inquisitorum, et abnegavit omnem heresim et fuit reconciliata.

Hec depositus anno, die et loco predictis coram dicto locum tenente dicti domini inquisitoris, in presentia et testimonio Fratris Poncii de Turellis, Fratris Poncii de Massilia, Fratris Guillelmi Radulphi ordinis Fratrum Predicatorum conventus Carcassone, magistri Iacobi de Poloniacho custodis Muri Carcassone, magistri Bertholi de Arlato custodis Muri Tolose, et mei Guillellmi Ramundi notarii publici officii Inquisitionis, qui predictis interfui et hec recepi et scripsi.

Postque anno Domini M°CCC0 nono, VI idus aprilis, predicta Alamanda uxor

quondam Arnaldi de Sos de Taraschone citata veniens, constituta in iudicio coram religioso viro Fratre Gaufrido de Ablusiis ordinis Fratrum Predicatorum inquisitore heretice pravitatis per Sedem apostolicam deputatus in domo Inquisitionis Civitatis Carcassone, iuravit ad sancta Dei Evangelia dicere meram et plenam veritatem super facto heresis de se ut principalis et de aliis vivis et mortuis sicut testis. Dixit et recognovit se confessam fuisse et confessionem fecisse de dicto crimine heresis coram Fratre Iohanne de Felgosio, tenente locum dicti inquisitoris, que confessio fuit eidem Alamande lecta et recitata intelligibiliter in vulgari. Quam confessionem et omnia et singula contenta in ea dixit, recognovit et de novo confessa fuit esse vera et nullam continere falsitatem in toto vel in parte, et in eis dixit se velle stare et perseverare, et nunquam contravenire, et ea confirmavit, approbavit et ratificavit, et renunciavit (*En marge* : Renunciavit) ex certa scientia omni iuri, deffensioni et excepcioni per que eius confessio posset infrangi, cassari, irritari vel annullari.- Interrogata si inducta, informata, tormentata, odio, amore seu timore depositus predicta vel aliquid premissorum, dixit quod non, sed sua propria voluntate et quia veritas sic se habet. Et renunciavit (*En marge* : Renunciavit) et conclusit in negocio presenti, supponens se voluntati et misericordie dicti inquisitoris, petens et supplicans de et pro predictis sibi iniungi penitentiam salutarem. Et dictus dominus inquisitor habuit pro renunciato et concluso in presenti negocio.

Acta fuerunt hec coram dicto inquisitore anno, die, loco predictis, presentibus religiosis viris Fratribus Iohanne de Felgosio, Iohanne Stephani, Petro Ramundi Autali ordinis Fratrum Predicatorum, magistris Iacobi de Poloniacho rectore Ecclesie de Caunetis Carcassonensis dyocesis, Arnaldo Assaliti notario domini Regis, Hugone de Poloniacho servientis Civitatis Carcassone domini Regis, et ego Bartolomeus Adalberti de Carcassona, auctoritate regia publicus notarius et officii Inquisitionis iuratus, premissis omnibus interfui et ea de mandato dicti inquisitoris recepi, scripsi et signo meo solito signavi.

PETRUS TINHAC

F° 28 r° (XXXIV) Anno Domini M°CCC° octavo, V° idus iulii Petrus Tinhac de Ax, veniens non citatus, constitutus in iudicio in domo Fratrum Predicotorum Carcassone coram Fratre Geraldo de Blumaco priore conventus Fratrum Predicotorum Carcassone et Fratre Iohanne de Felgosio eiusdem ordinis et conventus, tenentibus locum religiosi viri Fratris Gaufridi de Ablusiis predicti ordinis, inquisitoris heretice pravitatis in regno Francie a Sede apostolica deputati, iuratus ad sancta Dei Evangelia super facto heresis de se ut principalis et de aliis vivis et mortuis ut testis plenam et meram dicere veritatem :

Dixit quod VIII° anni vel circa sunt elapsi quod Ramundus Auterii de Ax, sacerdos eius, et Petrus Rosselli dicti loci, quilibet pro se, fecerunt ipsi testi mentionem de hereticis, videlicet de Petro et Guillelmo Auterii et Pradas Tavernerii, dicentes ei quod erant boni homines et sancti et tenebant bonam fidem et sanctam vitam ducebant, rogantes eum et inducentes quod videret eos et haberet eorum familiaritatem et notitiam, et quod ipsos reciperet in domo sua, et quod multum poterat magis valere de eis.

Tandem quadam nocte anno predicto, cum ipse esset in domo Ramundi Vayssiera de Ax, idem Ramundus dixit ipsi testi quod heretici erant in domo Sebilie den Batle de Ax, si volebat ipsos videre. Qui respondit quod sic, libenter, et statim ipse testis et dictus Ramundus Vaysiera iverunt ad domum dicte Sebilie, et invenerunt ibi Guillelmum Auterii et Pradas Tavernerii hereticos in solario (*En marge : Visio*).

- Interrogatus quid fecit cum eis vel quid dixit eis, vel si audivit predicationes et monitiones et errores eorum, dixit quod salutavit eos cum magna reverencia et sedit cum eis multum ad ignem, et audivit ipsos loquentes multa bona verba de apostolis, de quibus verbis non recordatur. Et dicebant quod ipsi faciebant magnas abstinentias et faciebant tres quadragesimas in anno, et quod habebant potestatem salvandi animas.

Item audivit ab eis (*En marge : Errores*) quod ostia consecrata per capellanum quando elevatur in missa et ostenditur populo non est corpus Christi, et quod nullus debebat credere quod hoc esset corpus Christi.

Item audivit ab ipsis hereticis, ut dixit, quod baptismus nichil valebat nec proficiebat homini.

Item dicebant, ut dixit, quod matrimonium nichil valebat et quod non erat nisi congregatio, et ita magnum peccatum erat iacere cum uxore sua quam cum alia muliere.

Item dicebant, ut dixit, quod nos qui tenemus fidem Ecclesie romane adoramus idola, videlicet imagines sanctorum que sunt in ecclesiis.

- Interrogatus si adoravit dictos hereticos vel fecit eis aliquam reverenciam, dixit quod non tunc.

- Interrogatus qui erant presentes cum dictis hereticis, dixit quod Sebilia predicta et Bernardus Baiuli filius dicte Sebilie et Ramundus Valsieyra predictus, (et credit quod uxor ipsius Ramundi erat ibi presens similiter, tamen nescit bene pro certo), et ipse testis.- Interrogatus si remanserunt ibi dicti heretici illa nocte, dixit quod sic, et ipse et dictus Ramundus Vaysiera recesserunt de domo predicta et dimiserunt dictos hereticos ibi.

Item dixit quod quadam alia vice, de nocte, ivit ad domum dicte Sebilie ubi erant dicti heretici, et cum eis dicta Sebilia, et nullus alias quod ipse viderit. Et tunc adduxit eos ad domum suam (*En marge* : Visio, Receptio) et steterunt ibi tribus diebus et tribus noctibus.

- Interrogatus si dedit eis ad comedendum vel bibendum de bonis suis, dixit quod non, nisi medium quartonum vini quod portavit eis uxor sua.- Interrogatus unde habebant necessaria sua, dixit quod habebant panem a dicta Sebilia den Batle, et ipsi portaverant in quadam cabacio fructus, videlicet ficus melatas, et comedebant pisces. Et nescit, ut dixit, unde habebant. Et Marquesia uxor ipsius testis emebat eis, ut dixit, vinum.

- Interrogatus si comedit vel bibit cum eis, dixit quod nunquam comedit in mensa eorum, sed bene bibit cum eis, et dederunt ei de piscibus suis. Et dixit quod ipsimet coquinabant et parabant coquinam quam comedebant.

- Interrogatus quid fecit cum eis vel quid audivit, dixit quod vidit et audivit eos legentes in quadam libro, loquendo de Evangelii et de sancto Petro et sancto Paulo, et multa verba legebant in dicto libro de quibus non recordatur. Et dicebant dicti heretici quod ipsi ducebant illam viam et illam fidem quam legebant, et quod ipse testis debebat eandem tenere si volebat salvari, et quod nullus poterat salvari nisi per eos et in fide eorum.

- Interrogatus que persone viderunt ibi dictos hereticos, dixit quod Ramundus Auterii sacer suus, Guillamona Garsendi *F° 29 v°* de Ax, Guillelmus Petri de Limoso, Marquesia uxor ipsius testis.

- Interrogatus si adoravit dictos hereticos vel fecit eis aliquam reverenciam vel vidit fieri ab aliis personis predictis, dixit^a quando veniebat ad eos, salutando et dicendo : "Domini salvemini", vel "Bene ueneritis", edoctus primo per eos inclinabat se versus eos et osculabatur humeros eorumdem (*En marge* : Reverencia); aliam adorationem vel reverenciam non fecit, ut dixit, nec vidit quod alii facerent.

- Interrogatus quis abstraxit dictos hereticos de domo sua et quo iverunt, dixit se nescire.- Interrogatus de tempore, dixit VII anni vel circa sunt elapsi.

Item dixit quod tres anni vel circa possunt esse, ut sibi videtur, cum ipse ivisset ad nundinas Sancti-Michaelis de Taraschone, ivit quadam nocte ad domum Guillelmi de Rodesio dicti loci cum R. Auterii socero suo, et tunc vidit ibi Guillelmum Auterii et quandam alium hereticum (et videtur sibi quod erat Pradas Tavernerii predictus).

- Interrogatus quid fecit cum eis, dixit quod nichil aliud, nisi quod salutavit eos.- Interrogatus que persone erant cum ipsis, dixit quod Guillelmus de Rodesio et Blanca uxor eius, Poncius de Rodesio, maritus spurie de Petri Auterii cuius nomen ignorat, (et est de Tarascone), Ramundus Auterii et ipse testis. Et cum stetissent parum ibi, statim ipse testis

a. *Adde* : quod.-

et Ramundus Auterii recesserunt de domo predicta, et paulo post dicti heretici et cum ipsis Poncius de Rodesio et maritus spurie Petri Auterii secuti fuerunt eos ad pratum den Rodes, et ibi dimiserunt se, videlicet quod dictus testis et Ramundus Auterii sacer suus redierunt ad villam, et nescit quo iverunt dicti heretici cum predictis aliis duobus personis.

Item dixit quod eodem tempore, ut sibi videtur, quadam die de qua non recordatur, ivit cum Ramundo Auterii socero suo apud Querium ad domum duorum fratrum dicti loci quorum nomina ignorat, ad videndum Guillelmum Auterii (*En marge : Visio*) et socium suum hereticum de cuius nomine non recordatur, qui erant ibi.

- Interrogatus quid fecerunt cum eis, dixit quod locuti fuerunt cum dicto Guillelmo Auterii, ipsum et dictum socium salutando et dicendo si volebant aliquid ab eis quod mandarent. Et in adventu et recessu ipse testis et dictus sacer inclinabant se (*En marge : Reverencia*) versus dictos hereticos osculando humeros, quia, ut dixit dictus tetis, modus eorum est talis, quod volunt quod illa reverencia fiat eis.

- Interrogatus si vidit aliquam personam cum dictis hereticis, dixit quod non, nisi unum de dictis II fratribus cuius nomen ignorat, et matrem eorum cuius nomen ignorat.- Interrogatus si remanserunt ibi dicti heretici, dixit quod sic.

Item dixit quod tres anni vel circa sunt elapsi, ut sibi videtur, quod vidit in domo Sebilie den Batle de Ax Guillelmum Auterii hereticum et Iacobum Auterii vel Pradas Tavernerii, alterum de duabus, cum ipso.

- Interrogatus quid fecit cum eis, dixit quod salutavit eos faciendo eandem reverenciam quam supra (*En marge : Reverencia*).- Interrogatus de personis ibi presentibus, dixit quod Petrus Merengues, Esclarmundda uxor Ramundi Auterii et dicta Sebilie et ipse testis.- Interrogatus si remanserunt ibi dicti heretici, dixit quod sic.

Item dixit quod eodem tempore vel circa, cum ipse testis esset apud Montem Alionis, et uxor Bernardi Riba cuius nomen ignorat tonderet ei oves suas, ipsa mulier dixit sibi quod Pradas Tavernerii hereticus predictus erat in domo sua, si volebat ipsum videre, et statim, ut dixit, ivit de pulcra die ad domum predictam et vidi (*En marge : Visio*) ibi dictum hereticum et cum eo dictam mulierem na Riba et nullum alium.

- Interrogatus quid dixit dicto heretico vel quid fecit cum eo, dixit quod interrogavit eum, et volebat scire ab ipso si volebat aliquid quod ipse posset facere pro eo, et in adventu et recessu fecit ei eandem reverenciam quam supra (*En marge : Reverencia*).

Item dixit quod VI anni vel circa sunt elapsi, ut sibi videtur, quod ipse ivit apud Limosum pro mercaturis suis. Et Petrus Merengues de Ax qui erat ibi dixit ipsi testi quod heretici erant in villa de Limoso in domo Martini Franciscii, ubi habebant recursum, dicens ei et eum rogans quod iret visum eos. Et statim ambo iverunt ad domum dicti Martini, et invenerunt ibi Pradas Tavernerii, Petrum Ramundi et Amelium de Perlis hereticos (*En marge : Visio*), et cum ipsis^a Martinus Franciscii et uxor eius cuius nomen ignorat.

- Interrogatus quid fecit vel dixit cum dictis hereticis, dixit quod ipse et dictus Petrus Merengues salutaverunt eos, dicendo : "Domini salvemini", et faciendo reverenciam inclinando se versus *F° 29 r° (XXXV)* eos et osculando humeros cuiuslibet (*En marge : Reverencia*).

a. *Adde* : erant.

- Interrogatus si audivit predictionem vel errores eorum, dixit quod non tunc.- Interrogatus qui erant ibi presentes, dixit quod Martinus et uxor eius et Petrus Merengues predicti et ipse testis.- Interrogatus si erat dies vel nox, dixit quod nox erat quando gentes cenabant.- Interrogatus si comedit cum ipsis in eadem mensa, dixit quod sic, ita quod heretici erant in capite mense, et ipse testis et dictus Petrus Merengues separati ab ipsis erant in alio capite mense. – Interrogatus quid comedebant, dixit quod panem et vinum et racemos novos. – Interrogatus si aliue persone comederunt cum dictis hereticis in mensa predicta, dixit quod Martinus predictus et uxor sua veniebant ad dictam mensam, non tamen sedebant quod recolat, et bibebant de vino posito in mensa.

-Interrogatus si vidit alias personas cum dictis hereticis, dixit quod sic, videlicet quandam fratrem Guillelmi Petri Cavaerii de Limoso et tres homines dicti loci quorum nomina ignorat. – Interrogatus de tempore, dixit ut supra.- Interrogatus si dicti heretici remanserunt in domo predicta, vel recesserunt alibi, dixit quod ipse testis et dictus Petrus Merengues exiverunt domum predictam et iverunt cubitum in quadam hostalayria ville, dictis hereticis remanentibus in loco predicto.

Item dixit se visitasse et vidiisse V anni vel circa sunt elapsi predictos tres hereticos et Petrum et Guillelmum Auterii hereticos, non tamen simul, sed diversis vicibus, in domo predicti Martini (*En marge* : Visio).- Interrogatus quociens vidi ibi dictos hereticos, dixit quod tribus vicibus a VI annis citra, et iverunt cum ipso, ut dixit, ad videndum eos Ramundus Auterii de Ax et G. de Rodesio.- Interrogatus quas personas vidi cum dictis hereticis, dixit quod dictus Martinus et alii superius nominati erant ibi presentes cum ipsis hereticis.- Interrogatus si audivit predicationes et errores eorum, dixit quod sic, prout depositit.

Item dixit quod a VII annis citra vidi tribus vicibus diversis temporibus, non tamen simul, Guillelmum et Petrum Auterii fratres et Iacobum Auterii, Pradas Tavernerii hereticos in domo Guillelmi Petri Cavaerii de Limoso (*En marge* ; Visio) et erant ibi cum dictis hereticis Guillelmus Petri Cavaerii et eius frater cuius nomen ignorat, et quidam alii de Limoso quos ipse testis non cognoscebat. – Interrogatus quid fecit vel dixit ibi, respondit quod placebat sibi quando videbat eos, et dicebat et offerebat eis si volebant aliquid quod posset facere pro ipsis.- Interrogatus si fecit eis aliquam reverenciam, dixit quod sic, eandem quam supra, osculando humeros eorum.- Interrogatus si comedit vel bibit cum dictis hereticis, dixit quod non quod recordetur.- Interrogatus si qualibet vice dimittet dictos hereticos in domo predicta, dixit quod sic.

Item dixit quod circa fesum beati Michaelis mensis septembbris erit annus quod Marquesia uxor sua et Petrus Rosselli de Ax dixerunt ipsi testi quod Guillelmus Auterii hereticus predictus erat in domo dicti Petri Rosselli dicti loci, et quod iret visum eum. Et vidi (*En marge* : Visio) eum ibi bis, una vice de die et alia de nocte, et illa vice quando vidi ipsum de die erat inclusus et absconsus, ut dixit, in quadam magna archa in qua tenetur bladum, de qua archa ipse testis vidi exire dictum hereticum, sicut dixit.

- Interrogatus quid fecit cum eo vel dixit, respondit quod salutavit eum, et quod venerat ad sciendum si volebat aliquid quod posset facere pro ipso, et nullam aliam reverenciam tunc fecit sibi, ut dixit, sed recessit et dimittit eum ibi.- Interrogatus de personis que erant cum ipso heretico, dixit quod Petrus Rosselli et Alissendis uxor eius et ipse testis et nullus aliis quod ipse viderit.

Item dixit se vidisse (*En marge : Visio*) VI anni vel circa sunt elapsi, ut sibi viddetur, Iacobum Auterii hereticum in doo Gualarde den Benet de Ax, quadam die de qua non recordatur, et erant ibi cum ipso heretico dicta Gualarda et neptis eius cuius nomen ignorat.- Interrogatus quid fecit ibi, dixit quod ivit ad videndum dictum hereticum si volebat aliquid quod posset facere, et nichil aliud fecit Dixit tamen quod dictus Iacobus hereticus tunc de pulcra die exivit domum predictam, et ipse testis et dicta Gualarda associaverunt eum usque extra villam de Ax versus Pradas, et ibi dimisit eum et nescit quo ivit.

Interrogatus si vidi alibi hereticos vel fecit plus cum eis, dixit quod non quod recordetur. Tamen si recordaretur se alibi vidisse vel plus peccasse cum dictis hereeticis vel aliis, veniret ad confitendum.

Interrogatus si credidit unquam quod heretici erant boni homines et quod haberent et tenerent bonam fidem, et quod homo posset salvari in fide eorum, dixit quod non.- Interrogatus quare receptavit eos in domo propria et quare visitavit eos tocens, ipsos celando et secrete tenendo usque nunc, dixit quod propter suum malum sensum.

Interrogatus si unquam adoravit hereticos $F^{\circ} 29 v^{\circ}$ flexis genibus, dicendo : "Benedicite", secundum modum eoerum, vel vidi quod aliquis alias adoraret eos, dixit quod ipse nunquam adoravit, sed bene vidi quod Guillelmus Petri Cavaerii semel in domo sua adoravit Guillelmum Auterii flexis genibus, dicendo : "Benedicite".

Iuravit stare mandatis Ecclesie et inquisitorum et abiuravit omnem heresim.

Hec deposituit anno, die et loco predictis coram dictis locum tenentibus predicti domini inquisitoris, in presentia et testimonio Fratrum Poncii de Turrellis, Petri Boerii, Petri Ramundki Assaliti ordinis Fratrum Predicotorum, magistri Iacobi de Poloniaco rectore Ecclesie de Caunetis et mei Guillelmi Ramundi, notarii publici officii Inquisitionis, qui predictis interfui et ea recepi et scripsi.

Infra CXXXIII.

RAMUNDUS ISSAURA LOQUITUR

F° 30° (XXXVI) Anno Dominice incarnationis M°CCC° octavo, II° idus augusti Ramundus Issaura filius Arnaldi Issaura de Lernato Appamiensis dyocesis, constitutus in iudicio in cameran magistrorum Iacobi de Poloniacho custodis Muri Carcassone coram Fratre Iohanne de Felgosio et Fratre Geraldo de Blumaco ordinis Fratrum Predicotorum, tenentibus locum religiosi viri Fratris Gaufridi de Ablusiis dicti ordinis, inquisitoris heretice pravitatis in regno France auctoritate Apostolica deputati, iuratus ad sancta Dei Evangelia super facto heresis de se ut principalis et de aliis vivis et mortuis ut testis plenam et meram dicere veritatem :

Dixit quod XIII^a anni vel circa sunt elapsi quod ipse, quadam die de qua non recordatur, vedit in domo sua et dicti patris sui in quodam sotulo, loco absconso, duos homines quos non cognovit nec unquam magis viderat eos. Et timuit valde quando vedit eos ibi stantes, et suspicatus est statim et cogitavit quod essent homines qui vellent facere seu fabricare falsam monetam, pro eo, ut dixit, quia ipse tunc erat iuvenis et videbat quod dicti homines portabant in zonis suis cultellos seu ganivetos, qui sibi multum placebant, et fecerunt ei magnam invidiam.

Interrogatus si salutavit eos vel petivit seu interrogavit eos cuiusmodi homines erant, dixit quod non, sed statim valde timidus dimisit eos, et ivit ad Analdum Issaura patrem suum, et dixit ei quod duos homines invenerat et viderat in loco predicto, interrogans ipsum patrem suum si ipse sciebat ipsos ibi esse. Qui Arnaldus respondit ipsi testi, ut dixit, quod sciebat quod essent in domo sua. Et nichil aliud dixit sibi tunc de predictis hominibus.

Item dixit ipse testis quod post predicta transacto medio anno vel circa, predicti duo homines redierunt ad domum ipsius testis et dicti patris sui, et ibi dictus testis vedit eos stantes per tres dies et tres noctes, ut sibi videtur, et tenebantur multum secrete.

Tunc dictus testis interrogavit dictum patrem suum cuiusmodi homines erant predicti, qui respondit et dixit eidem quod erant boni homines et boni christiani, et de illis videlicet qui vocantur heretici, et illi tenebant fidem et viam Dei, et quod hnomo debebat ipsos diligere et credere, quia habebant potestatem salvandi animas.

Tunc dictus testis, ut dixit, inductus et monitus per dictum patrem suum quod diligenter eos et haberet fidem suam in eis, salutavit ipsos hereticos et habuit eos in magna reverencia et amore. Et predicti heretici faciebant ipsi testi pulcram faciem et ostendebant ei signum dilectionis, et faciebant ei suum placitum. Et quadam die ipse testis de mandato dicti patris sui aportavit eis fructus, et invitaverunt eum et dederunt ei ad vespralandum, dantes ei de pane suo

a. Corr.: VIII.-.

- Interrogatus quid dixerunt sibi dicti heretici, dixit quod dicebant quod ipsi erant boni christiani et habebant bonam fidem (*En marge* : Pred.) et tenebant et ducebant viam Dei et apostolorum, et habebant potestatem salvandi animas, et quod nullus nullus^a nisi crederet eis et nisi teneret fidem suam et nisi transiret per manus suas poterat salvari.

- Interrogatus si audivit ipsos loqui aliquid contra Ecclesiam romanam vel contra sacrificium misse et contra sacramenta ecclastica, videlicet de baptismo et de matrimonio, dixit quod sic (*En marge* : Errores). Et dicebant, ut dixit, quod Ecclesia romana nichil valebat, et illa Ecclesia non erat Ecclesia Dei, et omnes illi qui hoc credebant erant fatui et sine sensu, et quicquid dicebatur vel predicabatur in ecclesia per capellanos vel religiosos erat mendacium, et nullus debebat credere predicationibus eorum. Et dicebant dicti heretici quod ipsi erant Ecclesia Dei, qui tenebant fidem et viam Dei, qui non menciebantur nec iurabant nec faciebant malum homini, et erant sine peccato, et ipsi habebant potestatem salvandi et remittendi peccata, et Ecclesia romana nullam potestatem habebat.

Item dicebant de corpore Christi quod nullus debebat credere quod illa ostia quam capellanus ostendit populo in missa esset corpus Christi, et quod non erat nisi panis.

Item dicebant quod matrimonium nichil valebat nec fieri debebat, et contempnabant, ut dixit, et vituperabant omnia que fiebant in ecclesia seu per Ecclesiam romanam, dicentes quod non erat aliqua fides adhibenda.

Item dicebant, ut dixit, quod erant duo dii, unus bonus et aliis malus, et ipsi heretici crededabant bono Deo, et tenebant fidem suam, et illi qui tenent et predican fidem Ecclesie romane erant de deo malo, ita quod nunquam possunt salvari.

- Interrogatus si fecit dictis hereticis conventionem, quod possent ipsum hereticare et recipere in fidem et sectam suam in fine, dixi quod sic (*En marge* : Conventio). - Interrogatus quid fecerunt ei promittere, dixit quod interrogaverunt eum si credebat dictis seu erroribus supradictis, qui respondit eis quod sic.- Item interrogaverunt, si esset infirmus in periculo mortis, si volebat recipi per eos in sectam suam et si volebat servare precepta Dei et sua, qui respondit et concessit quod sic.

- Interrogatus si adoravit dictos hereticos, dixit quod sic (*En marge* : Adoratio), edoctus, inductus et instructus per eos, flexis genibus, dicendo : "Benedicite" ter, dicendo etiam : "Boni christiani, orate Deum pro nobis quod Deus perducat nos ad bonum finem", et dicti heretici respondebant, ut sibi videtur : "Deus sit in adiutorium vestrum".- Interrogatus que persone erant ibi presentes, dixit quod Arnaldus Issafra pater suus, Ermengardis mater sua quondam, Guillelmus frater $F^{\circ} 30 v^{\circ}$ suus, Sebilia soror sua que moratur apud Tarasconem.- Interrogatus si predicte persone adoraverunt predictos hereticos^b ter, flexis genibus, dicendo "Benedicite" secundum modum predictum.

Item dixit interrogatus quod Arnaldus Issaura pater suus predictus dixit sibi quod unus dictorum hereticorum vocabatur Petrus Auterii et alias Guillelmus Auterii, fratres de Ax.

a. *Suppr.*: nullus.- b. *Add* : dixit quod sic.-

Item dixit quod predicti Petrus et Guillelmus Auterii heretici et Iacobus Auterii, Poncius Baiuli filius Sebilie den Batle, Poncius de Avinione, Amelius de Perlis, Philippus de Talayrac de Constanciano, Pradas Tavernerii et Ramonetus Fabri, omnes heretici (*En marge* : Visio multorum hereticorum) a XIII^a annis citra fuerunt in domo ipsius Ramundi Issaura qui loquitur et dicti patris sui apud Lernatum, et quod ipse vidit ipsos hereticos ibi, non tamen omnes simul, sed tot vicibus, ita quod nullo modo posset de numero recordari, quia de mense in mensem veniebant aliquando, et aliquando stabant per duos vel tres menses et aliquando per medium annum quod non veniebant nec rediebant ad dictam domum. Et stabant ibi et tenebant secrete tantum quantum placebat eis, aliquociens per tres vel per IIIIor dies et noctes, et aliquociens per VIII^o dies et noctes, comedentes et bibentes de bonis que erant in dicta domo.- Interrogatus quis parabat eis ad comedendum, dixit quod ipsimet, et non comedebant carnes nec ova nec caseum.

- Interrogatus que persone viderunt et visitaverunt dictos hereticos in domo predicta, dixit quod parentes et frater et soror sui predicti et ipse testis, Guillelmus Sabaterii de Limoso, et persone infrascripte extranee, non tamen omnes simul, sed diversis temporibus, viderunt ibi, ut dixit, dictos hereticos, vel aliquem seu aliquos eorum, videlicet :

Petrus Agosini, Guillelma mater eius, Guillelmus Gosini, Mateldis uxor eius, Guillelma Catalana, Faressa filia sua, Petrus Capellani, Philippus de Lenato domicellus, Sebilia mater eius, Huuga soror sua, Sebilia Melgosa, Guillamona soror dicti testis, omnes de Lernato.

Guillelmus Sabaterii, Guillelmus eius filius, P. Monerii, G. Monerii de Limoso.

Ramundus Beloti, En Mauri, Azemarius, de Monte Alionis.

Arnaldus Auterii filius P. Auterii de Ax.

P. de Lusenacho, G. de Lusenacho fratres de Lusenacho.

Ramundus Sabaterii de Lordato.

Bernardus Turnerii de Tarascone.

G. de Area de Querio.

Arnaldus Martini, G. Martini de Ugenacho.

Vitalis de Merenchis et quidam filius Petri Amelii de Merenchis cuius nomen ignorat.

- Interrogatus si adoravit dictos hereticos vel vidit eos a predictis aliis personis adorari, dixit quod ipse et parentes sui ac fratres sui predicti adoraverunt eos plures, ita quod non potest de numero recordari, flexis gwenibus, dicendo "Benedicite" secundum modum predictum (*En marge* : Adoratio), et vidit, ut dixit, quod multi de predictis aliis superius nominatis adoraverunt eos, et non recordatur qui sunt.

- Interrogatus si audivit predicationes et monitiones dictorum hereticorum, dixit quod sic, plures, et predicte alie persone, ut dixit, audierunt similiter ipsos loquentes contra Ecclesiam romanam, et comedentes Ecclesiam suam et fidem, loquendo de Deo et apostolis ut supra.

- Interrogatus si associavit eos de loco ad locum, dixit quod sic (*En marge* : Asso.) bis exeuntes de nocte domum suam predictam, et euntes versus Tarasconem. Tamen nolebant dicti heretici, ut dixit, quod associaret eos usque ad villam, sed quando erant prope villam Tarasconis, dicebant ei quod rediret ad domum suam, quia satis associaverat eos.- Interrogatus si veniebant alii homines ad dictos hereticos qui associarent eos usque ad

a. Corr.: VIII.-

dictam villam, dixit quod semel quod lucebat luna vidi duos homines venientes ad eos quos non cognovit, ut dixit, et alia vice quando voluerunt quod recederet, unus dictorum hereticorum essiulet^a, et quidam alias qui veniebat ad eos, ut credit, respondit dictis heeticis similiter sibulando.

Item dixit quod alia vice associavit dictum Guilllelmum Auterii hereticum (*En marge* : Asso.) exeuntem domum dicti patris sui de nocte et euntem et euntem una cum dicto teste versus Ax, et ivit cum ipso heretico usque prope villam de Ax, et ibi dimisit eum et rediit ad domum suam.

Item dixit quod VIII anni et amplius et amplius sunt elapsi, quadam die de quo non recordatur, tempore Pascali ut sibi videtur, quod ipse ivit apud Tarasconem pro vino emendo, et Blanca uxor Guillelmi de Rodesio dicti loci vidi eum ibi et dixit sibi quod Petrus Auterii hereticus erat in domo sua, qui volebat ipsum videre. Et statim ipse testis ivit ad domum dicte Blanche et invenit (*En marge* : Visio) ibi dictum Petrum Auterii hereticum.

- Interrogatus quid fecit vel dixit cum eo, dixit quod salutavit eum cum magna reverencia, amplexando ipsum, et dictus hereticus obtime recepit ipsum testem, dicens ei quod libenter iret apud Lernatum ad domum dicti patris ipsius testis, et rogavit eum quod associaret et duceret eum ibi. Qui testis respondit quod hoc faceret libenter. Et cum fuit nox, ipse testis et dictus hereticus (*En marge* : Asso.) *F° 31 r° (XXXVII)* exierunt domum dicte Blanche et iverunt apud Lernatum ad domum suam seu dicti patris sui.

- Interrogatus quas personas vidi apud Tarasconem cum dictis hereticis in domo dicte Blanche, dixit quod dicta Blanca erat cum eo, et nullus alias quod ipse viderit. - Interrogatus que persone viderunt dictum hereticum in domo sua apud Lernatum, dixit quod Arnaldus Issaura pater suus, G. frater suus, Ermengardis mater sua et ipse testis et nullus alias quod ipse viderit.- Interrogatus si fuit ibi diu, dixit se non recordari.- Interrogatus si adoravit dictum hereticum vel vidi ab aliis adorari, dixit quod sic, (*En marge* : Adoratio) ter flexis genibus, dicendo "Benedicite" secundum modum predictum.

Item dixit quod hoc anno circa Carniprivium ipse testis, quadam die de qua non recordatur, ivit apud Montem Alionis ad querendum hereticos et ducendum eos apud Lernatum ad Aladaycem Gosina de Lernato, que infirmabatur ad mortem, que volebat hereticari et recipi in fidem et sectam hereticorum. Et venit in domo^b den Belot, cui revelavit ad quid venerat. Et dictus Belot duxit eum ad domum den Mauri, et ibi invenit matrem dicti Maurini cuius nomen ignorat, et Ramundum de Talayraco hereticum cum ipsa, cui heretico ipse testis et dixit et significavit quod ipse venerat pro ipso, quod iret apud Lernatum ad dictam Aladaycem, que volebat recipi in fide et secta hereticorum.

Et dictus hereticus respondit dicto testi (*En marge* : Ductio-Asso.) quod non poterat ire, quia debebat et promiserat ire versus Rodesium^c sed quod iret apud Ax, et ibi inveniret quod petebat. Et tradidit ei Ramundum Beloti de Monte Alionis, qui duxit eum et associavit usque villam de Ax cum Guillelmono de Arnauda qui ibat cum ipso qui loquitur. Et sic erat circa median noctem quando fuerunt ibi, et intravit dictam villam dictus Ramundus dimissis aliis ibi. Et cum aliquantulum stetissent, dictus Ramundus rediit ad eos et adduxit Philippum de Constanciano hereticum. Et salutantes se adinvicem ipse qui loquitur cum dicto Guillamono et dicto heretico iverunt versus Lernatum et dictus Ramundus intravit dictam villam de Ax dimissis aliis predictis. Et cum fuerunt prope Unhac fuit dies, et inde iverunt usque ad Cabanas Castri Verduni, et ibi fuerunt pransi.

a. Corr.: essiulet.- b.. Sic.- c. Corr.: Radesium.-

- Interrogatus quid comederunt, dixit quod unum panem vocatum thonhol quem dictus hereticus portabat, et emerunt de vino in dicta taberna.- Interrogatus si vidi quod dictum panem benediceret dictus hereticus, dixit se non recordari.

Sed post dictum prandium inde recedentes venerunt prope Sinsatum, et ibi dictus hereticus dixit eis quod recederent, et ipse sequeretur eos paulatim. Et sic recesserunt et venerunt apud Lernatum ad domum ipsius qui loquitur, et invenerunt quod iam dicta Aladaycis obierat. Et dictus hereticus eadem die circa vesperas venit ad domum ipsius qui loquitur et fuit ibi per IIII dies vel V dies, ut sibi videtur.

- Interrogatus que persone venerunt tunc ad videndum et visitandum dictum hereticum, dixit quod Perus Capellani, Guillelmus Gosini et Mateldis uxor sua et Monetus Gosini et Cerdana uxor ipsius testis.- Interrogatus si adoravit tunc dictum hereticum, dixit quod sic (*En marge* : Adofratio), flexis genibus ut supra, dicendo "Benedicite".- Interrogatus si vidi quod predice alie persone adorarent eos, dixit quod non, sed bene vidi quod fecerunt ei reverenciam, salutando et amplexando ipsum.- Interrogatus quo ivit dictus hereticus quando recessit de domo predicta, dixit quod ivit ad domum den Gosi, et ipse testis associavit eum (*En marge* : Asso.) et dimisit ibi.- Interrogatus si erat dies vel nox, dixit quod nox erat quasi in principio, illa ora videlicet quando gentes cenabant.

Item dixit quod in vindemiis proxime venientibus erit unus annus quod ipse ivit quadam die de qua non recordatur apud Montem Alionem ad domum den Belot dicti loci, ad petendum et sciendum si erat ibi aliquis hereticus seu heretici, quem seu quos volebat ducere apud Lernatum ad Ermengardim matrem suam que infirmabatur graviter. Et dictus Belot tunc dixit ipsi testi quod nullus hereticus erat ibi, sed quod iret apud Ugenachum ad domum Arnaldi Martini et Guillelmi Martini fratrum, et quod ibi inveniret illud quod petebat.

Tunc ipse testis rediit apud Lernatum, et ipse et Bernardus Gosini dicti loci iverunt apud Ugenachum ad domum dictorum fratrum, et ibi invenerunt Philippum de Constanciano hereticum, et cum ipso erant Arnaldus et Guillelmus fratres predicti, et eorum soror cuius nomen ignorat. Quem hereticum ipse testis et dictus socius suus salutaverunt. Et idem qui loquitur dixit et significavit dicto heretico quod mater sua infirmabatur ad mortem et volebat recipi in fide et secta hereticorum et mori in illa fide, et quod placeret sibi quod iret apud Lernatum ad recipiendum seu hereticandum dicam matrem suam. Qui hereticus respondit quod hoc faceret libenter, et statim de nocte dictus hereticus et ipse tesis ac dictus Bernardus Gosini iverunt apud Lernatum (*En marge* : Asso.). Et cum fuerunt in introitu ville, predictus hereticus et dictus Bernardus Gosini cum ipso remanserunt ibi, et dictus testis ivit ad domum suam ad sciendum in quo statu erat dicta mater sua, et invenit eam, ut dixit, in lecto mortuam. Tunc ipse testis rediit ad dictum hereticum et dixit sibi quod non oportebat eum venire ad domum suam, quia nichil faceret ibi, quia mater sua predicta decesserat.

- Interrogatus quo ivit dictus hereticus, dixit quod dictus Bernardus Gosini duxit eum ad domum suam.- Interrogatus si ipse testis vidi dictum F° 31 v° hereticum ibi, dixit quod eadem nocte recessit, et rediit apud Ugenachum, ut credit.- Interrogatus si tunc adoravit dictum hereticum, vel vidi quod dictus Bernardus Gosini adoraret eum, dixit quod non.

Item dixit quod III vel IIII anni vel circa sunt elapsi, quadam nocte Guillelmus Auterii hereticus predictus et ipse testis associans eum (*En marge* : Asso.) exeuntes de Lernato de domo ipsius qui loquitur iverunt apud Ax ad domum Sebilie den Batle et invenerunt ibi Pradas Tavernerii hereticum, et cum ipso dictam Sebiliam.

- Interrogatus interrogatus^a si fuit ibi diu cum dictis hereticis, dixit quod non, sed eadem nocte quando requievit aliquantulum super quandam lectum, recessit et rediit ad domum suam, et dicti heretici remanserunt ibi.- Interrogatus si vidiit aliam personam cum ipsis nisi dictam Sebiliam, dixit quod non.- Interrogatus si tunc adoravit dictos hereticos vel aliquem eorum, dixit quod non.- Intgerrogatus si dicta Sebkilia adoravit eos, dixit se vidisse quod ipsa Seilia in advendu dicti Guillelmi Auterii heretici fecit ei reverenciam et eam adoravit flexis genibus, dicendo : "Benedicite" ter secundum modum predictum.

Item dixit quod VIII anni vel circa sunt elapsi, quadam die de qua non recordatur, ivit ipse testis apud Tarasconem ad domum Arnaldi Piquerii dicti loci, quia audiverat dici, et non recordatur, ut dicit, a quo, quod ibi erat Petrus Auterii hereticus (*En marge : Visio*) et quod volebat de dicto loco exire et venire apud Lernatum ad domum ipsius qui loquitur. Quem hereticum invenit ibi, et cum ipso Arnaldum Piquerii et Ramundam uxorem suam primam. Et salutavit eum et dictos coniuges, et dictus heeticus cum magno gaudio recepit ipsum testem, dicens ei quod libenter mutaret se de illo loco ubi erat et iret apud Lernatum ad domum ipsius testis. Tunc dictus hereticus et dictus testis cum ipso de nocte iverunt apud Lernatum ad domum suam (*En marge : Ductio*) et dicti patris sui.

- Interrogatus si fuit ibi diu dictus hereticus, dixit se non recordari.- Interrogatus que persone viderunt eum tunc ibi, dixit quod parentes et fratres sui predicti et aliique de personis per ipsum superius nominatis, de quibus dixit se non recordari.- Interrogatus si ipse testis tunc adoravit dictum hereticum in domo sua vel in domo dicti Arnaldi Piquerfii vel vidiit eum ab aliis adorari, dixi quod non recordatur.- Interrogatus quis abstraxit eum de domo sua, dixit se nescire.

Item dixit se vidisse X anni vel circa sunt elapsi Petrum Auterii hereticum predictum apud Tarasconem in domo Blanche uxoris Guillelmi de Rodesio.- Interrogatus quare venit ad dictam domum, dixit quod non recordatur.- Interrogatus quid fecit vel dixit cum dicto heretico, dixigt quod salutaverunt se adivicem, et ipse testis fecit ei reverenciam, ipsum amplexando, aliter non adoravit eum tunc quod recordetur.- Interrogatus que persone erant cum ipso heretico, dixit quod dicta Blanca et G. de Rodesio eius maritus et non aliis quod recordetur.- Interrogatus si erat nox vel dies, dixit quod nox erat, et illa nocte dictus hereticus recessit de domo predicta, et venit apud Lernatum ad domum ipsius ipsius^b testis.- Interrogatus quis associavit eum, dixit quod ipse testis, primo exiens domum predictam, expectavit dictum hereticum sicut condictum erat inter ipsos in exitu ville, et venit cum ipso heretico Guillelmus de Rodesio predictus, et tunc omnes tres iverunt usque ad pratum dicum de la Yla. Et ibi dictus Guillelmus de Rodesio dimisit dictum hereticum. Et ipse testis et dictus hereticus tenuerunt viam suam versus Lernatum recte ad domum ipsius testis.- Interrogatus si stetit ibi diu dictus hereticus, dixi se non recordari.- Interrogatus de personis que viderunt ipsum ibi, dixit quod illi de domo sua, de aliis non recordatur, ut dixit.- Interrogatus si adoravit tunc dictum hereticum, vel vidiit ab aliis adoari, dixigt se non recordari.- Interrogatus si scivit quando recessit de dicto loco et quo ivit vel quis associavit eum, dixi se nescire.

Item dixit quod hoc anno circa festum Natalis Domini ipse ivit quadam die martis apud Tarasconem ad domum Bernardi Servelli fabri dicti loci pro ferro quod ipse testis habebat ibi, et uxor dicti Bernardi cuius nomen ignorat dixit sibi quod Amelius de Perlis hereticus erat ibi in domo sua, si volebat ipsum videre. Et tunc vidiit (*En marge : Visio*) eum

a. *Suppr.*: interrogatus.- b. *Suppr.*: ipsius.-

ibi, ut dixit.- Interrogatus quid fecit vel dixit cum ipso, dixit quod salutavit eum et interrogavit qualiter erat ei, offerens se ei quod paratus erat facere pro ipso illud quod posset. - Interrogatus si fecit ei aliquam reverenciam, dixit quod adoravit eum flexis genibus, dicendo "Benedicite" ter secundum modum predictum.- Interrogatus que persone erant ibi presentes, dixit quod nullus quando adoravit eum nisi ipse et dictus hereticus, sed primo uxor dicti Bernardi Servelli ostenderat eum sibi, ut dixit, in quadam camera ubi erat...

F° 32 r° (XXXVIII-XXXIX) ... Guilllelmi Augerii de Tarascone quod dictus pater suus fuit hereticatus in infirmitate de qua obiit annus vel circa est elapsus, et non dixit qui heretici hereticaverunt eum.

Item dixit se audivisse ab Alamanda de Sos de Tarascone quod Ramunda soror sua sua, uxor Arnaldi Piquerii de Tarascone, fuit hereticata in infirmitate de qua obiit IIII or anni vel circa sunt elapsi.

Item dixit quod duo anni vel circa sunt elapsi quod Philippus de Lernato, quadam die in estate, dixit sibi quod iret usque ad pontem de Sissat^a et ibi inveniret unum hominem cum quodam pueru, et ipse testis nichil aliud diceret illi homini, sed quod associaret eum (*En marge : Asso.*) et duceret ad domum ipsius testis apud Lernatum, quod et fecit dictus testis.- Interrogatus si cognovit dictum hominem, dixit quod non tunc, sed postea audivit dici ab Arnaldo Issaura patre suo quod hereticus erat et vocabatur Petrus Ramundi de Sancto Papulo.- Interrogatus si stetit ibi diu in dicta domo sua dictus hereticus, dixit quod non, nisi per unam noctem, et credit quod ivit versus Ugenachum cum pueru supradicto.- Interrogatus que persone viderunt ibi dictum hereticum, dixit quod patrer suus et mater sua et Petrus frater suus, et non alias extraneus quod ipse viderit.

Item dixit quod XI^b anni sunt vel circa sunt elapsi quod ipse vidit (*En marge : Visio*) Perum Auterii hereticum apud Tarasconem in quodam sotulo cuiusdam domus contigue ecclesie dicti loci.- Interrogatus cuius erat illa domus, dixit se nescire.- Interrogatus que persone erant ibi presentes, dixit quod unus homo et quedam mulier quarum nomina ignorat.- Interrogatus quid fecit cum dicto heretico, dixit quod extraxit eum de loco illo et duxit eum apud Lernatum ad domum suam.- Interrogatus si fuit ibi diu, dixit se non recordari, nisi de^c .- Interrogatus de personis que viderunt eum in dicta domo sua, dixit se non recordari, nisi de parentibus et fratribus suis predictis.- Interrogatus si adoravit tunc vel vidit ab aliis adorari, dixit quod non recordatur.

Item dixit quod Guillelmus frater suus, quadam nocte in introitu ville de Lernato a parte inferiori tradidit sibi unum mulum seu mulam essalatum et effrenatum, quod animal (*En marge : Contra Philippum de Lernato de interfectione beguini*), ut dixit frater suus, erat Philippi de Lernato, et quod duceret eum ad cabanatum et quod ligaret eum et daret ad comedendum ei, quod ct fecit dictus testis.

- Interrogatus quo ivit dictus frater suus, dixit quod postea interrogavit eum quo iverat, et ipse dixit sibi quod iverat cum Philippo de Lernato et duobus hominibus de Tarascone vel de Querio quos non nominavit sibi, et duxerunt quendam beguinum ad podium de Alacio versus Querium, et ibi spoliaverunt eum et proiecerunt in quandam foveam (seu foviam)^d profundissimam, ita quod postea non fuit visus. Tunc ipse testis

a. Corr.: Sinsat.- b. Corr. VI.- c Suppr. : nisi de.- d. Glose du copiste..-

interrogavit dictum fratrem suum quare hoc fecerant, et ipse dixit sibi quod dictus beguinus revelaverat christianos, videlicet hereticos, et insidiabatur eis, volens eos facere capi et tradere inquisitoribus, et propter hoc proiecerunt eum ibi.- Interrogatus de tempore, dixit senon recordari.

Item dixit interrogatus quod X^a anni vel circa sunt elapsi quod Guilllelmus de Lusenacho quadam nocte circa festum sancti Michaelis adduxit Petrum Auterii hereticum tunc infirmum equitanem unum mulum dicti Guillelmi usque ad medium costam subtus Lernatum, et ibi dictus testis et Guillelmus frater eius acceperunt dictum hereticum et duxerunt eum apud Lernatum ad domum suam. Et dictus Guillelmus de Lusenacho rediit ad domum suam cum dicto mulo.

- Interrogatus si stetit ibi diu infirmus dictus hereticus, dixit quod per unum mensem vel circa.- Interrogatus si aliquis hereticus vel aliique persone extranea ve nerunt ad dictam domm ad videndum et visitandum dictum hereticum infirmum, dixit se non recordari. – Interrogatus quis serviebat ipsi hereztico vel adminkistrabat ei necessaria sua, dixit quodo parentes ipsius testis et ikpsemet testis et dicti fratres sui, et parum, ut dixit, comedeba nisipanem et aqam.- Interrogatus si adoravit eum vel vedit ab aliis adorari, dixit quod pluries ante et post dictam infirmitatem adoraverunt eum ipse et alii de domo sua, sed non recordatur si durante dict infirmitate adoraverunt eum (*En marge : Adoratio*).

F° 32 v° Item dixit quod anno predicto quadam nocte quidam filius Petri Amelii de Mderenchis cuius nomen ignorat abstraxit de dompo ipsius testis dictum Petrum Auterii hereticum adhuc debilem propter infirmitatem predictam, et duxit eum apud Merenx ad domum dicti patris sui, ut credit.- Interrogatus si ipse vel laiquis de domo sua tunc associaverunt dictum hereticum, dixit quod non.

Item dixit quod tres anni vel circa sunt elapsi, quadam die de qua niobn recordatgur, Ermengardis de Suc de Tarascone venit apud Lernatum ad domum ipsius testis, et tunc erat ibi unus de hereticis predictis per ipsum supra nominatis, de cuius nominne dixit se non recordari. Quem hereticum ipsa Ermengardis vedit ibi, et locutus^b est cum ipso, et audivit predicationem et monitionem ipsius heretici. Et vedit, ut dixit, ipse testis quod dicta Erme ngardis adoravit dictum hereticum (*En marge : Adoratio*) flexis genibus ter, dicendo "Benedicite" secundum modum predictum.

- Interrogatus que persone erant ibi prfesentes, dixit quod parentes sui et fratres sui predicti et eius mater et ipse testis et non alia persona extranea, nisi dicta Ermengardis, quod recordetur.- Interrogatus si ipse et alii de dopo sua predicta adoraverunt dictum hereticum, dixit quod sic, flexis genibus, dicendo "Benedicite" ter ut supra.

Item dixit quod ipse et Guillelmus frater suus pluries, duo anni sunt et III et IIII et VI anni sunt, associaverunt Petrum et Guillelmm Auterii et Amelium de Perlis hereticos, non tamen opnes tres simul, sed aliquocidens unum et aliquocidens duos, qui heretici exibant de Lernato de domo ipsius testis, et ipse et dictus frater eius ibant cum ipsis usque supra villam de Norrato, et ibi inveniebant Arnaldum Martini et Petrum Martini de Ugenacho, qui venerant pro dictis hefreticis, et ducebant eos apud Ugenachum ad domum suam. Et ipse testis et dictus frater suus fredibant ad domlum suum apud Lernatum. Item dixit quod e converso pluries annis ipse et dictus dfrater suus iverunt ad dictum locum supra villam de Lernato de nocte, et expectabant ibi dictos hereticos qui veniebant de

a. Corr.: locuta.-

Ugenacho cum Arnaldo et Petro Martini fratribus predictis ipsos ducentibus, et quod ibi ipse testis et dictus frater suus recipiebant dictos hereticos et ducebant (*En marge* : Ductio) apud Lernatum ad domum suam, et Arnaldus et Petrus Martini predicti redibant ad villam suam.

- Interrogatus quomodo sciebant quod dicti heretici deberent ad dictum locum venire, dixit quod aliquociens erat ita condictum inter ipsos, et aliquociens dicti heretici significabant eis per nuncium quod tali nocte tali hora debebant esse in loco predicto.

Item dixit quod modo est annus quod En Mauri de Monte Alionis, quadam die dominica, de magna die, venit apud Lernatum ad domum ipsius testis, ducens secum Petrum Ramundi de Sancto Papulo hereticum (*En marge* : Visio). – Interrogatus si stetit ibi diu dictus herticus, dixit quod non, sed comedit et bibit ibi, et sgtatim post prandium recessit de loco illo et ivit versus Ugenachum, et dictus testis associavit eum usque ad capud pontis de Ugenacho. Et cum fuerunt ibi dictus hereticus remansit ibi, et dictus testis intravit dictam villam de Ugenacho et significavit Arnaldo Martini dicti loci adventum dicti heretici, et quod eum dimiserat in dicto ponte. Et statim dictus Arnaldus Martini cum una virga, acsi velet ire piscatum, et dictus testis cum ipso, venerunt ad dictum hereticum. Et tunc dictus hereticus et dictus Arnaldus Martini cum ipso euntes piscando per ripariam intraverunt dictam villam de Ugenacho, et dictus testis rediit ad domum suam apud Lernatum.

- Interrogatus que persone viderunt dictum hereticum apud Lernatum in domo sua, dixit quod Arnaldus Issaura pater et Ermengardis mater sua et Petrus frater suus et Ermengardis sororia et dictus Maurinus et ipse testis.- Interrogatus si adoravit eum vel vidit ab aliis adorari, dixit quod non.- Interrogatus que verba dicebat ei dictus hereticus eundo versus Ugenachum, dixit se non recordari.

F° 33 r° (XL) Item dixit quod VIII anni fuerunt vel circa in crastinum Carniprivii veteris quod Petrus Monerii de Limoso, qui erat apud Lernatum in domo ipsius testis, misit ipsum apud Ravatum ad Miraclam mulierem dicti loci, quod sciret cum ipsa si erant vel fuerant noviter ibi aliqui homines de Limoso. Quam nunciationem dictus testis fecit, et dicta Miracla dixit et respondit ipsi testi quod diu erat non fuerat ibi aliquis homo de Limoso. Tunc dicta Miracla tradidit dicto testi poma circa XX, dicens ei sic : "Dona ista poma illis quos tu scis", et dictus testis, ut dixit, statim intellexit quod de hereticis volebat dicere. Et tunc dictus testis ivit recto cum dictis pomis apud Querium ad domum Guilhelmi de Area, et ibi invenit, ut dixit, Petrum Auterii et Iacobum Auterii eius filium hereticos, quibus dedit et presentavit dicta poma, dicens eis quod dicta Miracla tradiderat ea sibi quod daret illis quos sciebat. Et dicti heretici tunc dixerunt et responderunt: "Deus retribuat ei".

Tunc dicti heretici dixerunt dicto testi quod aliquam pecuniam amiserant vel dimiserant, et nesciebant ubi, et quod non erat diu quod dicti heretici fuerant apud Lernatum in domo ipsius testis. Interrogaverunt eum si vidit aut audivit quod dicta pecunia remansisset in domo sua predicta; vel audivit mentionem quod eam dimisissent in aliquo alio lco. Qui testis respondit eis se nescire aliquid nec audivisse de pecunia supradicta.

- Interrogatus quid fecit cum dictis hereticis, dixit quod dederunt sibi ad vespralandum.- Interrogatus quid copmedit, dixit quod panem et ficum et scicera, et non recordatur si bibit vinum. – Interrogatus si comedit tunc in eadem mensa cum dictis hereticis, dixit se non recordari.- Interrogatus que persone erant cum dictis hereticis, dixit

quod mater et soror dicti Guillelmi de Area quorum nomina ignorat, et nulla alia persona quod ipse viderit.- Interrogatus si adoravit tunc dictos hereticos, dixit quod sic, flexis genibus, dicendo "Benedicte" ter secundum modum predictum (*En marge* : Adoratio).- Interrogatus si predicte mulieres adoraverunt eos, dixit quod non quod ipse viderit.- Interrogatus si remanserunt ibi dicti heretici, dixit quod sic.

Item dixit quod dicti heretici dixerunt ei pluries quod caveret bene sibi quod nullo moldo revelaret eos, quia si ipsi possent scire, nunquam magis confiderent de eo nec eum vocarent nec vellent esse in societate eorum.

Item dixit se audivisse dici in domo sua a parentibus vel fratribus suis predictis quod pater Guillermo de Limoso qui similiter vocabatur Guillermo Sabaterii venit infirmus apud Lernatum ad domum dicti testis et dicti patris sui, et ibi fuit hereticatus (*En marge* : Hereticatio de auditu) et receptus in fide et secta hereticorum. Et non audivit dici a quibus hereticis fuit receptus, sed audivit dici, ut dixit, quod Guillermo frater suus fuit presens in illa hereticatione.- Item audivit dici, ut dixit, quod dictus Guillermo Sabaterii hereticatus in dicta domo posuit se et stetit in endura bene per VII septimanas vel circa, et stabat in quadam boria infra dictam domum, et ibi mortuus est. Et audivit dici quod fuit sepultus in quadam orto dicti testis seu patris sui predicti.- Interrogatus de tempore, dixit quod...^a anni vel circa sunt elapsi, ut sibi videtur.

Interrogatus si vidit alibi hereticos vel fecit plus cum eis, dixit quod non quod recordetur, nisi prout supra deposituit.

Interrogatus si credidit quod heretici essent boni homines et quod tenerent bonam fidem seu sectam, et quod homo posset salvari in fide et secta eorum, et quod ipsi heretici haberent potestatem salvandi animas et remittendi et absolvendi peccata, et quod nullus posset salvari nisi transiret per manus eorum, dixit quod sic, quia parentes sui et dicti heretici dabant sibi intelligere, et dicebant quod ita debebat credere. Et ita credidit, ut dixit, et fuit in illa credencia ab illo tempore citra quo fecit dictis hereticis conventionem quod in fine volebat recipi per eos, usquequo fuit captus nuper per inquisidores^b heretice pravitatis seu eius locum tenentes et adductus ad Murum Carcassone. Sed postea, ut dixit, Dominus illuminavit eum, et habuit propositum et voluntatem confitendi *F° 33 v°* predictam heresim et errores, et recognovit semetipsum quod peccaverat, et male fecerat quia tantum steterat in illo errore et in illo peccato. Et dixit quod modo non credit nec credit de cetero erroribus dictorum hereticorum, sed vult vivere et mori in fide catholica quam Ecclesia romana tenet et predicit.- Interrogatus quare non dixit et confessus fuit predicta in principio statim quando venit, dixit quod propter timorem.

Iuravit stare mandatis Ecclesie et inquisitorum et abiuravit omnem heresim et fuit reconciliatus.

Hec depositus anno, die et loco predictis coram dictis locum tenentibus predicti domini inquisitoris, in presencia et testimonio Fratris Guillermo Siguerii lectoris in conventu Fratrum Predicatorum Carcassone, Fratris Petri Stephani predicti ordinis, magisgtri Iacobi de Poloniacho rectoris Ecclesie de Caunetis, et mei Guillermo Ramundi notarii officii Inquisitionis qui predictis interfui et recepi atque scripsi.

a. *En blanc dans le ms.*- b. *Corr.*: inquisitorem.-

Postque anno Domini M° CCC° octavo, XII kls aprilis predictus Ramundus Issaura de Larnato citatus ex parte religiosi viri Fratris Gaufridi de Ablusiis ordinis Fratrum Predicotorum inquisitoris heretice pravitatis in regno Francie per Sedem apostolicam deputati ad diem sabbati subsequentem, die sue citationis prevenit et comparuit die veneris intitulata XII kls aprilis. Et coram dicto inquisitore in iudicio constitutus in domo Inquisitionis Civitatis Carcassone, iuravit ad sancta Dei Evangelia dicere meram et plenam veritatem super facto heresis de se ut principalis et de aliis vivis et mortuis sicut testis, requisitus et interrogatus per dictum inquisitorem ut diceret veritatem de dicto facto heresis sicut iuraverat. Dictus Ramundus Yssaura dixit, respondit et confessus est quod alias confessus fuit de dicto crimine heresis coram religiosis viris Fratribus Iohanne de Felgosio et Geraldo de Blumaco ordinis predicti, locum tenentibus dicti inquisitoris.

Que confessio fuit eidem Ramundo lecta et recitata per me notarium infrascriptum intelligibiliter in vulgari, tam die veneris supradicta quam die sabbati subsequente intitulata XI° kls aprillis, ad cuius declarationem, correctionem et completionem dixit et confessus fuit :

Quod doctrina hereticorum et eorum errores non audivit omnes simul, sed diversis vicibus, nunc hos, nunc illos, nec ab uno heretico omnes errores predictos audivit, sed a diversis, aliquando ab uno, aliquando ab alio, nec bene posset distinete dicere quod^a a quibus hereticis audivit, ut dixit.

Dixit et confessus est quod Petrus Gozini, Guillelma mater eius, Guillelma Catalana, Fauressa eius filia, Sebilia Melgosa, Guillamona soror ipsius qui loquitur, de Larnato; Guillelmus de Area de Querio; Arnaldus Martini et Guillelmus Martini fratres de Ugenacho adoraverunt hereticos quos in sua confessione nominat, non tamen omnes hereticos simul, sed nunc hos, nunc illos, ut dixit.

Dixit etiam quod Petrus Capellani de Larnato et Arnaldus Auterii filius^b Petri Auterii heretici de Ax non vidit cum hereticis supradictis, sed bene vidit ipsos in hospicio patris ipsius qui loquitur quandoque intrantes, quandoque exeuntes.

Item dixit et correxit quod ubi dicit in confessione sua quod ipse vidit in domo Maurini apud Montem Alionem Ramundum de Talayracho hereticum, dixit et confessus est quod non est bene certus utrum ille hereticus qui vocabatur Ramundus cognominaretur de Talayracho vel aliter, tamen bene certus est, ut dixit, quod dictus hereticus vocabatur Ramundus.

Item dixit et confessus fuit, plenius recordatus, quod ubi dicit in confessione sua quod vidit Petrum Auterii hereticum in domo Blanche de Rodesio X anni sunt vel circa elapsi, debuit dicere V vel VI anni vel circa sunt, ut dixit.- Item dixit et confessus fuit quād X anni vel circa possunt esse, ut sibi videtur de tempore, dica Blancha, antequam fuisse maritata dicto Guillelmo de Rodesio, mandavit ipsi qui loquitur existenti apud Taraschonem quod veniret ad ipsam que tunc morabatur in hospicio Ramundi Lombardi quondam viri dicte Blanche, et ibi ipse qui loquitur vidit Petrum Auterii hereticum et inde extraxit eum et duxit apud Larnatum ad domum patris ipsius qui loquitur. Nec recordatur F° 34 r° (XLI) si aliquis associavit ipsum qui loquitur et dictum hereticum recedendo de dicta domo et eundo apud Larnatum.

a. Corr.: quot .- b. Corr.: Petrum, Arnaldum, filium..

Item dixit et confessus fuit quod posgtquam Petrus Auterii hereticus hereticavit et recepit Guillelmam Catalanam de Larnato in domo patris ipsius qui loquitur, Petrus Auterii dixit ipsi qui loquitur quod reportaret dictam Guillelmam receptam ad domum ipsius recepte, et quod bene caveret quod non tangeret ipsam ad nudum, quia, si tangeret, ipsa mulier defecisset in ordine et secta hereticorum, prout ipse qui loquit^a se audivisse dici a dicto Petro Auterii heretico. Qui in crastinum vel ipsa die, ut sibi videtur de tempore, quesivit ab ipso qui loquitur si tangerat dictam mulierem ad nudum, qui respondit quod non.

Item dixit et confessus fuit quod ubi dicitur in confessione sua quod Guillelma Gosina fuit recepta in quadragesima, plenius recordatus dixit quod non est bene certus utrum fuit recepta in quadragesima vel non, tamen certus est quod recepta fuit parum ante quadragesima^b vel parum infra.

Item^c et confessus fuit quod audivit ab Ermeniarde sororie ipsius qui loquitur quod ipsa Ermeniarda concesserat quod Guillelmus Yssaura vir suus hereticaretur, et quod ipsum Guillelum absolvit hereticis.

Item dixit et confessus fuit quod Amelius de Perlis hereticus, ipso qui loquitur associante, et non Philippus de Constanciano hereticus, visitavit Sebiliam Melglosam in domo Philippi de Larnato apud Larnatum, quam ibidem Phiippus de Constanciano hereticus in sectam hereticorum recepit, et reconsiliavit eam dictus Amelius hereticus, quia dicta Sebilia defecerat contra ordinem hereticorum quia iuraverat postquam fuerat per predictum Philippum recepta.

Item dixit et confessus fuit quod VI anni in presenti quadragesima sunt vel circa, ut sibi videtur de tempore, soror Guillelmi de Area de Querio, Ermeniardis ut sibi videtur de nomine, que habet maritum in Avellaneto et ibi moratur, ut credit, venit ad domum patris ipsius qui loquitur apud Larnatum, et dixit ipsi qui loquitur et aliis de hospicio quod irent apud Peyras Cabanassas ad Petrum Auterii recipiendum et adducendum, et quod tunc ipse qui loquitur et Guillelmus frater suus iverunt ad locum predictum et ibidem invenerunt Petrum Auterii et socium suum de cuius nomine non recordatur hereticos (*En marge* : Visio), et inde adduxerunt (*En marge* : Ductio) eos apud Larnatum ad domum patris ipsius qui loquitur, sicut dixit, et de nocte iverunt et de nocte redierunt. Et invenerunt Guillelum de Area cum dictis hereticis, qui associavit dictos hereticos usque ad locum predictum in quo ipse qui loquitur et frater suus reeperunt eosdem.

Item dixit et confessus fuit quod VI anni vel circa, tempore quod fodiantur vinee, possunt esse, ut sibi videtur de tempore, quod Palharesa de Luzenacho venit ad domum ipsius qui loquitur apud Larnatum quadam die de qua non recordatur, ut dixit, et dixit ipsi qui loquitur et aliis^d de hospicio quod nocte sequente iret^e ad pontem d'Albers si videbatur eis bonum, ad recipiendum hereticos quos invenirent, et quod ipse qui loquitur et Guillelmus frater ipius qui loquitur nocte sequente iverunt ad pontem predictum, et ibidem invenerunt duos hereticos, sed non recolit quos, ut dixit, et inde adduxerunt eos apud Larnatum ad domum suam (*En marge* : Ductio, Receptio).

a. Corr.: loquitur.dixit.- b. Corr.: quadragesimam.- c. Adde : dixit.- d. Corr.: aliis.- e. Corr.: irent.-

Item dixit et confessus fuit quod modo est annus in presenti quadragesima circa principium quod ipse qui loquitur et Monetus Gosini de Larnato associaverunt Amelium de Perlis seu Philippum de Constanciano de Larnato usque ad pontem d'Alvers seu de ponte predicto usque ad Larnatum.

- Interrogatus si aliter quam quod supra dictum est vidit, adoravit, visitavit, associavit seu duxit hereticos vel aliquam aliam participationem seu familiaritatem habuit cum eisdem, respondit quod non quod recordetur, tamen si de pluribus fuerit recordatus, paratus est confiteri.- Interrogatus si aliquid aliud vult vel intendit addere... iniungi penitentiam salutarem^a.

Acta fuerunt hec coram dicto inquisitore anno Domini M° CCC° octavo, et die lune in crastinum Ramis Palmarum intitulata IX° kls aprilis in domo Inquisitionis Civitatis Carcassone, presentibus domino Mayolo Rebutini milite, vicario Carcassone domini Regis, dominis Petro Sicredi, Arnaldo Salvatoris, canonicis Ecclesie Carcassone, Fratre Iohanne Stephani socio dicti domini inquisitoris, magistris Petro Vitalis, Petro Guilha, Gullelmo de Locis, Ramundo de Rasergue iurisperitorum, domino Petro Radulphi rectore Ecclesie de Maloleone Appamiensis dyocesis, magistris Guilellmo Maurini notario, Geraldo Manentis, Ramndo Barroti, Guillermo Gosini, Ramundo Guillelmi Curaterii, consulibus Carcassone, magistro Iacobo de Poloniacho rectore Ecclesie de Caunetis Carcassonensis dyocesis, et ego Bartholomeus Adalberti de Carcassona, auctoritate regia publicus notarius et officii Inquisitionis iuratus, premissis omnibus interfui et ea de mandato dicti inquisitoris recepi, scripsi et signo meo signavi.

a. *Ut supra p. 70.*

PETRUS ISSAURA

F° 35 e° (XLII) Anno Domini M° CCC° octavo, XVI° kls septembbris Petrus Issaura de Lernato, filius Arnaldi Issaura, constitutus in iudicio in camera magistrorum Iacobi de Poloniacho custodis Muri Carcassone coram religiosis viris Fratre Iohanne de Felgosio et Fratre Geraldo de Blumaco ordinis Fratrum Predicatorum, tenentibus locum religiosi viri Fratris Gaufridi de Ablusiis, inquisitoris heretice pravitatis in regnio Francie auctoritate apostolica deputati, iuratus ad sancta Dei Evangelia super facto heresis plenam et meram dicere veritatem :

Dixit quod VIII anni sunt elapsi et amplius quod Guillelmus Issaura frater eius nunc defunctum, quadam die de qua non recordatur, dixit ipsi testi quod Petrus et Guillelmus Autrerii, qui sunt de illis bonis hominibus qui vocantur heretici, erant in domo sua, et ipse tenebat eos ibi. Et habebant, ut dixit, potestatem salvandi animas, et quod bonum erat credere in eis et tenere et sequi fidem et viam eorum. Et statim ostendit sibi dictos herticos.

- Interrogatus quid dixerunt dicti heretici ipsi testi vel quid ipse dixit vel fecit cum eis, dixit quod dixerunt quod erant boni christiani et tenebant fidem et viam Dei et apostolorum, et quod nulli revelaret eos, sed in omni loco teneret et custodiret secrete. Et ipsi ponerent eum in via salutis et salvationis si volebat credere eis. Et dictus testis respondit dicens hereticis se velle credere eis et facere voluntarem suam in hiis que sibi monstrarent et dicerent pro salvatione anime sue, et quod custodiret et teneret eos secrete et ex^a diligeret ex toto corde suo.

- Interrogatus si audivit predicationem vel monitionem dictorum hereticorum, dixit quod sic, et dicebant ei, ut dixit, quod caveret bene sibi quod non faceret nec diceret malum alicui persone, et quod non iuraret nec mentiretur, quia ipsi non iurabant nec menciebantur nec faciebant malum hominui, et talem vitam ducebant.

- Interrogatus si aaudivit eos loqui aliquid contra sacrificium misse vel de baptismo seu de matrimonio, dixit quod dicebant quod missa nichil valebat nec proficiebat homini, quia omnia que fiebant et dicebantur in missa erant mendiosa et sine fructu, et nullus debebat habere fidem in aliquo quod ibi diceretur quod posset iuvare ad salvationem anime sue.

a. *Adde : tunc, vel corr. : eos.--*

Item dicebant, ut dixit, quod erant due Ecclesie, una bona et alia mala, dicentes eidem, ut dixit, quod nos tenebamus malam Ecclesiam et infructuosam, et ipsi tenebant Ecclesiam bonam Dei, que ducebat hominem ad bonum finem et viam salvationis, dicentes quod ipsi erant Ecclesia Dei et habebant potestatem absolvendi et parcendi peccata, et nullus alias, nisi sit talis sicut ipsi erant (qui erant, ut dicebant, sine aliquo peccato), habet illam potestatem.

- Interrogatus si fecit conventionem dictis hereticis quod vellet hereticari et recipi per eos in fine, dixit quod sic, ita quo si contingeret quod esset infirmus et in periculo mortis, mitteret pro eis (*En marge : Conventio*) quod hereticarent eum, volens mori in fide et secta eorum et sperens per eos salvari prout ipsi dederant intelligi eundem.

- Interrogatus si adoravit tunc dictos hereticos, dixit quod sic, edoctus per ipsos, terflectendo genua coram eis (*En marge : Adoratio*) dicendo "Benedicite", et ipsi heretici respondebant et dicebant quedam verba que ipse testis, ut dixit, non bene potuit intelligere.-

- Interrogatus qui erant ibi presentes, dixit quod Arnaldus Issaura pater suus, Ermengardis mater sua quondam, Ramundus frater suus et Guillelmus eius frater et dictus testis et dicti heretici.- Interrogatus si predicte persone adoraverunt dictos hereticos, dixit quod non quod ipse viderit.

Item dixit se vidisse anno predicto predictos duos hereticos tribus vicibus diversis diebus et temporibus (*En marge : Visio*) in domo sua predicta.- Interrogatus si stabant ibi diu, dixit quod aliquociens per unam diem et unam $F^{\circ} 35 v^{\circ}$ noctem, et aliquociens per duas vel tres dies et tres noctes.- Interrogatus que persone venerunt ad videndum eos, dixit quod nullus quod ipse viderit, nisi pater et mater et frater sui predicti.- Interrogatus si adoravit eos vel vidit a predictis aliis adorari, dixit quod ipse adoravit eos semel (*En marge : Adoratio*) vel bis, ut supra, flexis genibus, dicendo "Benedicite", et non vidit, ut dixit, quod alii predicti adorarent eos.- Interrogatus si audivit predicationes et monitiones dictos hereticorum, dixit quod sic, loquendo et dicendo ut supra.

Item dixit se vidisse ab VIII^o annis citra in dicta domo sua et dicti patris sui Petrum et Guillelmum Auterii hereticos predictos et Iacobum Auterii, Poncium de Ax, Amelium de Perlis, Philippum de Talayracho, Pradas Tavernerii, Ramonetum Fabri et Petrum Ramundi de Sancto Paopulo hereticos (*En marge : Visio multorum hereticorum*) diversis temporibus, et tot vicibus quod non potest recordari.- Interrogatus si vidi omnes simul ibi, dixit quod non, sed bene fuerunt ibi simul Petrus et Guillelmus et Iacobus Auterii et Poncium de Ax predicti.

Item dixit interrogatus quod predicti heretici aliquociens veniebant unus solus et aliquociens duo simul, de mense in mensem vel circa, et stabant ibi tantum quantum eis placebat, aliquando per II vel III vel IIII dies et noctes, et aliquando per VIII^o dies, aliquando plus et minus, secundum quod placebat et videbatur eisdem (*En marge : Recept.*). Et comedebant et bibebant de bonis domus predicte. Et aliquociens dicti heretici tradebant pecuniam illis de domo sua, de quibus emebantur eis fructus et aliqua alia sibi necessaria, que non inveniebantur in domo sua, ut dixit.- Interrogatus quid comedebant, dixit quod panem et vinum et pisces et aliquibus diebus septimane de quibus non recordatur non bibebant vinum.- Interrogatus quis parabat eis ad comedendum, dixit quod ipsimet, et nolebant quod aliquis alias poneret ibi manus.

- Interrogatus de personis que viderunt et visitaverunt dictos hereticos vel aliquem seu aliquos eorum in domo sua predicta, dixit quod Philippus de Lernato domicellus, Arnaldus Martini de Ugneacho, B. Turnerii de Tarascone, G. de Area de Querio, Ramundus Beloti de Monte Alionis, et quidam alias homo dicti loci cuius nomen ignorat. Isti viderunt dictos hereticos vel aliquos eorum, et maxime viderunt, ut dixit, Petrum et G. ac Iacobum Auterii et Poncium de Ax et Pradas Tavernerii et Amelium de Perlis, qui maiores amici sui erant et magis dicti heretici frequetabant domum suam quam alii heretici supradicti.

Item viderunt eos ibi G. Petri Cavaerii, G. Sabaterii, B. Monerii et Petrus Monerii eius frater, de Limoso.

Item dixit quod Arnaldus Issaura pater suus, Ermengardis mater sua et Ramundus et G. fratres sui et Ermengardis sororia sua uxor quondam dicti Guillelmi Issaura viderunt omnes hereticos predictos in domo predicta.

-Interrogatus si ipse testis vel predicte persone vel aliquis earum adoraverunt dictos hereticos vel aliquem seu aliquos eorumdem, dixit quod ipse adoravit pluries, tot vicibus quod non potest de numero recordari, Petrum et Guillelmum et Iacobum Auterii, Poncium de Ax, Pradas Tavernerii et Amelium de Perlis hereticos predictos, flexis genibus (*En marge* : Adoratio), dicendo "Benedicite" ter, et in ultimo "Benedicite" dicebant : "Bonи christiani, orate Deum pro nobis, quod perducat nos ad bonum finem", et dicti heretici dicebant et respondebant : "Deus vos perducat ad bonum finem" et quedam alia verba sumissa voce que ipse testis, ut dixit, non bene poterat intelligere.

Item dixit interrogatus se vidiisse pluries quod parentes et fratres sui predicti similiter adoraverunt (*En marge* ! Adoratio) dictos hereticos secundum modum predictum, flexis genibus, trer dicendo "Benedicite", ut supra, et non vidiit, ut dixit, quod persone alie supradicte F° 36 r° (XLIII) adoraverint eos vel aliquem eorum.

Item dixit quod ipse testis et prenominare persone pluries audiverunt predicationes et monitiones dictorum hereticorum (*En marge* : Pred.) loquendo contra Ecclesiam romanam et contempnando ecclesiastica sacramenta et comendando vitam et sectam et Ecclesiam suam ut supra.

- Interrogatus si associavit dictos hereticos de loco ad locum, dixit quod sic (*En marge* : Asso.), semel, VI anni vel circa sunt elapsi, ipse testis et Ramundus frater suus associaverunt Petrum et Guillelmum Auterii hereticos predictos, exeuntes quadam nocte de Lernato de domo ipsius testis, et eunes versus Lordatum. Et iverunt cum dictis hereticis usque ad pontem de Alveriis. Et ibi invenerunt Ramundum Sabaterii et quendam alium hominem cum ipso cuius nomen ignorat, qui expectabant dictos hereticos. Et ibi dictus testis et frater suus predictus dimiserunt ipsos hereticos qui tenerunt viam suam versus Lordatum, cum Ramundo Sabaterii predicto et eius socio associantibus eosdem. Et dictus testis et eius frater predictus redierunt apud Lernatum ad domum suam.

Item dixit quod V anni vel circa sunt elapsi, ut sibi videtur, quod ipse testis et Guilelmus frater suus, quadam nocte exeuntes de Lernato de domo sua, iverunt ad locum dictum Milglos prope castrum seu locum de Morrato^a, expectantes ibi Petrum et Guillelmum Auterii hereticos predictos (*En marge* : Asso.) , qui debebant venire ibi. Et cum parum expectassent eos usque ad primum sompnum, venerunt dicti heretici cum Arnaldo

a. Corr.: ad locum dictum Norratum prope castrum seu locum de Melglos.-

Martini et Guillelmo Martini de Iunacho fratribus. Et tunc ipse testis et dictus frater suus receperunt dictos hereticos (*En marge* : Recep.) et duxerunt eos apud Lernatum ad domum suam, et predicti Arnaldus et Guillelmus Martini redierunt ad villam suam predictam.

- Interrogatus quomodo sciebat dictus testis quod dicti heretici deberent ad dictum locum tali hora venire, dixit quod credit quod predicti Arnaldus Martini et Guillelmus Martini vel aliquis eorum dixerant et significaverant dicto Guillelmo fratri ipsius testis adventum dictorum hereticorum, aliter nescit pro certo. - Interrogatus si tunc dicti heretici fuerunt diu apud Lernatum in domo sua, dixit se non recordari. - Interrogatus que persone visitaverunt tunc eos ibi, dixit se non recordari, tamen videtur sibi quod Philippus de Lernato vidit eos ibi tunc (*En marge* : Vis.) et parentes et eius fratres predicti. - Interrogatus si ipse testis tunc adoravit vel vidiit ab aliis adorari, dixit quod non.

Item dixit quod hoc anno, circa festum apostolorum Petri et Pauli proxime preteritum fuerunt duo anni quod Guillelmus frater ipsius testis infirmabatur apud Lernatum in domo sua et dicti patris sui infirmitate de qua obiit, et quadam die dictus infirmus dixit ipsi testi quod multum vellet habere antequam moreretur christianos, videlicet hereticos, qui reciperen eum in sectam suam et hereticarent. Et rogavit eum quod procuraret sibi et quod iret ad Ramundum Sabarerii de Lordato cum quo posset de illis hereticis invenire (*En marge* : Pro hereticatione queritur hereticus). Tunc dictus testis ad requisitionem dicti fratris sui infirmi quadam die martis ibat^a apud Lordatum locutum cum dicto Ramundo Sabaterii super predicto facto, et obviavit sibi prope Urs, et dixit ei quod ad eum veniebat ex parte Guillelmi fratris sui infirmi ad mortem, qui volebat recipi per bonos christianos, videlicet hereticos, et interrogavit si ipse Ramundus Sabaterii habebat aliquem de F° 36 v° illis in domo sua vel sciebat. Tunc dictus Ramundus Sabaterii dixit ipsi testi quod nullus hereticus erat tunc in domo sua, sed mandavit ipsum ire apud Ax ad Arnaldum Auterii filium Petri Auterii heretici, cum quo inveniret quod petebat.

Tunc ipse testis ivit apud Ax ad domum Margaride sororie sue, cui dixit quod iret ad Arnaldum Auterii, et quod diceret ei quod ipse volebat loqui cum ipso. Tamen non ivit sed ostendit ipsi testi domum dicti Arnaldi, et ipse testis ivit illuc, et invenit ibi dictum Arnaldum Auterii, cui dixit quod Guillelmus frater suus erat infirmus ad mortem et volebat recipi in fide seu secta hereticorum, et propter hoc venerat ad eum, si sciret aliquem hereticum qui posset ipsum recipere. Qui Arnaldus respondit ipsi testi quod videret si posset aliquem invenire, et quod rediret ad eum in vesperis, quod et fecit dictus testis. Et comedit et bibit in domo dicti Arnaldi Auterii, et post illam comedionem ipse testis et dictus Arnaldus iverunt extra villam de Ax, et in exitu dicte ville invenerunt Amelium de Perlis hereticum (*En marge* : Visio), et quandam hominem cum ipso cuius nomen ignorat. Et erat tunc nox in principio noctis. Tunc dictus testis cognoscens dictum hereticum, ut dixit, salutavit eum cum magna reverencia et magno gaudio, ipsum amplexando, et dictus hereticus similiter ipsum letanter recepit, sciens iam per dictum Arnaldum Auterii ad quid venerat ipse testis. Tunc dictus Arnaldus Auterii et dictus homo qui erat cum dicto heretico redierunt apud Ax, et dictus tesstis et dictus hereticus iverunt per totam noctem (*En lmare* : Adductio) donec fuerunt apud Lernatum in domo sua ubi dictus frater suus infirmabatur. Et quando fuerunt ibi, fuit prope diem.

- Interrogatus quid fecit tunc dictus hereticus, dixit quod statim voluit videre et visitare dictum Guillelum fratrem suum infirmum, et invenit eum tunc satis in bono statu, et dixit quod staret dictus infirmus usque ad noctem, nolens tunc aliquid facere sibi. Sed

a. Corr.: ivit.-

dixit ei volebat recipi in fide et secta dicti heretici, et si volebat tenere et servare precepta Dei et sua, qui respondit quod sic, gaudenter et libenter. Tunc dictus hereticus dixit dicte infirmo quod parceret omni homini et omni persone que sibi dixerat vel fecerat malum. Et dictus infirmus totum concessit dicto heretico.

Postque nocte sequenti, cum dictus infirmus peteret potum, Arnaldus Issaura pater Ipsius infirmi ministravit sibi et dedit, presente et vidente dicto heretico, unum cloquear de aqua. Et dictus infirmus dixit sicut potuit et fecit signum quod non poterat intrare. Tunc dictus hereticus qui erat ibi presens statim hereticavit dictum infirmum et recepit in sectam suam.

- Interrogatus de modo hereticationis seu receptionis, dixit quod dictus hereticus (*En marge* : Hereticatio) posuit unum librum super caput dicti infirmi, in quo libro legebat qudedam verba que ipse testis non poterat intelligere, quia voce sumissa legebat, ita quod vix poterat audiri. Et legebat et tenebat dictum librum super caput dicti infirmi, et stabat flexis genibus coram ipso. – Interrogatus si fecit aliquid aliud, dixit quod non quod recordetur.

- Interrogatus que persone erant ibi presentes, dixit quod Arnaldus Issaura pater et Ermengardis mater et Ramundus frater dicti hereticati et Ermengardis eius uxor et ipse testis.- Interrogatus si dicta Ermengardis uxor dicti hereticati absolvit dictum virum suum hereticis, dixit quod sic, quod ex tunc, moreretur vel convalesceret de dicta infirmitate, ipsa consentiebat quod teneret sectam hereticorum.

- Interrogatus si ipse testis vel predicti alii qui erant ibi presentes adoraverunt tunc dictum hereticum, dixit se non recordari.- Interrogatus si dictus infirmus hereticatus decessit illa nocte, dixit quod sic, statim facta dicta hereticatione.- Interrogatus si remansit ibi dictus hereticus, dixit quod sic, per totam illam noctem et diem crastinum, et nocte sequenti recessit.- Interrogatus quis associavit eum et quo ivit, dixit se nescire, sed credit quod Ramundus frater suus associavit dictum hereticum, aliter non scit pro certo. – Interrogatus si aliique persone extranea viderunt tunc dictum hereticum, dixit quod non quod ipse viderit.- Interrogatus de tempore, dixit ut supra.

Item dixit quod XII vel XIII^a anni sunt elapsi quod ipse testis et Ramundus frater suus quadam nocte, aliter non recordatur de tempore, exeentes de domo sua de Lernato iverunt usque ad locum dictum Collum de Lernayssol prope Norratum, et ibi invenerunt Petrum Auterii hereticum et quendam alium hominem cum ipso, de cuius nomine non recordatur F° 37 r° (XLIV) pro quibus hereticis ipse testis et dictus frater suus veniebant, scientes quod per illum locum debebant transire et volentes eos associare et ducere apud Lernatum in domum suam.- Interrogatus unde veniebant dicti heretici, dixit quod de Iunhaco.- Interrogatus si aliquis homo associabat eos, dixit quod sic, Arnaldus Martini et Guillelmus Martini fratres de Iunhaco, qui tunc dimiserunt dictos hereticos in dicto loco et redierunt ad villam suam. Et dictus testis et frater suus predictus receperunt ipsos hereticos et duxerunt eos apud Lernatum ad domum suam.

- Interrogatus si steterunt ibi diu, dixit se non recordari, sed steterunt quantum placuit eis.- Interrogatus quomodo sciebant quod dicti heretici debebant venire et transire per dictum locum seu collum de Lernayssol, dixit quod fuit significatum Ramundo fratre suo predicto.

a. Corr.: VII vel VIII ? -

Item dixit interrogatus quod unus annus vel circa est quod vidit ultimo in domo sua Guillelmum Auterii hereticum predictum. Et Philippum de Constanciano et Amelium de Perlis hereticos vidit ultimo, ut dixit, in domo sua predicta in ebdomada sancta. – Interrogatus si aliisque persone extranee tunc viderunt vel visitaverunt (*En marge* : Visio) ibi tunc dictos hereticos, vel aliquem eorum, dixit quod non quod ipse sciat vel viderit.

Item dixit se audivisse (*En marge* : De auditu) dici a Guillelmo fratre suo quod Hugua uxor Philippi de Lernato domicelli fuit hereticata et recepta in secta hereticorum in infirmitate de qua obiit, de quo possunt esse V anni vel circa, et hereticaverunt eam Petrus et G. Auterii heretici. Et dictus G. fuit presens in dicta hereticatione.

Item dixit se audivisse dici a Ramundo fratre suo quod Sebilia, soror dicti Philippi de Lernato fuit hereticata in domo dicti Philippi in infirmitate de qua obiit hoc anno in ieme, et posuit se, ut audivit dici, in endura post dictam hereticationem, et Philippus de Talayracho hereticus hereticavit eam, ut audivit dici a fratre suo. Et ipse frater suus fuit presens in dicta hereticatione.

Item audivit dici, ut dixit, a Guillelmo et Ramundo et Ramundo^a fratribus suis quod Guillelmus Auterii et Petrus Auterii heretici hereticaverunt Guillelmam Catalanam de Lernato, quam de domo sua extraxerunt et aportaverunt eam ad dictos hereticos ad domum dicti testis, et hereticaverunt eam. In qua hereticatione dicti fratres fuerunt, ut audivit dici ab eis, VI anni vel circa sunt elapsi.

Item audivit dici ab Arnaldo Martini de Iunhaco quod mater et soror eius quarum nomine ignorat fuerunt hereticate et recepte per hereticos, et non audivit per quos, in ultimis infirmitatibus suis, de quibus potest esse unus annus vel circa.

Interrogatus si comedit de pane ab ipsis hereticis benedicto, dixit quod sic.- Interrogatus si vidit alibi hereticos vel fecit plus cum eis, vel scit aliqua alia de facto heresis, dixit quod non recordatur nisi prout supra deposituit.

Interrogatus si credidit hereticos esse bonos homines et habere et tenere bonam fidcm, et quod homo posset salvari per ipsos, dixit quod sic, et fuit in illa credencia ab VIII° annis citra, usquequo videlicet fuit captus nuper per inquisidores et adductus ad Murum Carcassone. Et tunc Domino coperante habuit propositum confitendi et recognovit se peccasse et male fecisse, quia unquam credidit dictis hereticis seu erroribus eorumdem, et dixit se nunquam magis velle credere hereticis nec eorum erroribus, sed vult vivere et mori, ut dixit, in fide catholica quam Ecclesia romana tenet et predicat.- Interrogatus quare non fuit confessus statim in principio quando venit et fuit captus, dixit quod propter timorem.

Iuravit stare mandatis Ecclesie et inquisitorum et abiuravit omnem heresim et fuit reconciliatus.

a. *Suppr.*: et Ramundo.-

Hec depositus anno, die et loco predictis locum tenentibus dicti domini inquisitoris, in presentia et testimonio Fratris Guillelmi Sigerii lectoris Fratrum Predicorum Carcassone, Fratris Poncii de Massilia predicti ordinis, magistrorum Iacobi de Pooloniacho recoris Ecclesie de Caunetis, et mei Guilllemi Ramundi notarii publici et officii Inquisitionis, qui predictis omnibus interfui et hec recepi et scripsi.

F° 37 v° Postque anno Domini M° CCC° nono II nonas aprilis predictus Petrus Issaura de Larnato, citatus veniens, constitutus in iudicio cofram frelgioso vio Frare Gaufrido de Ablusiis ordinis nFratrum Predicaorum, inquisitore heretice pravitatis in regno Francie per Sdem apostolicam deputato in domo Inquisitionis Civitatis Carcassone, iuratus ad sanccta Dei Evangelia dicere meram et plenam veritatem super facto heres de se ut principalis et de aliis vivis et mortuis sicut testis,dixit et recognovit se confessus fuisse et confessionem fecisse dedito crimine heres coram Fratribus Iohanne de Felgosio et Geraldo de Blumaco locum tenentibus dicti inquisitoris. Que confessio fuit eidem Petro lecta et recitata per me notarium infrascriptum intelligibiliter in vulgari. Ad cuius declarationem et correctionem dixit et addidit confessioni sue predicte, plenius recordatus quod :

In quadragesima proxime preterita fuit annus, ipse qui loquitur vidit in domo patris sui et sua apud nLarnatum Philippum de Constanciano hereicump, et ibidem ipse qui loquitur, Ramundus frater suus et Aranldus patersuus audiverunt predicationem dixti heretici et feceunt melioramentum (*En marge* : Melior.) coram dicto heretico flectendo genua, et in qualibet genuflexione dicebat "Benedicite", et heretici respondebant ut videtur ipsi qui loquitur : "Deus vos benedicat".

Dixit etiam quod ibi tunc visitavit et vidit dictum hereticum Petrus Capellani, qui dedit dicto heretico unum Tguronensem argenti, et G. de Na'rnauda, sed non vidit quod adoravere frunt seu ficerunt aliquam reverenciam, sicut dixit.

Item dixit quod eadem quadragesima vidit predictum hereticum in domo Petri Gozini, e ibidem viderunt ipsum, (*En marge* : Visio) ipso qui loquitur vidente, Petrus Gozini, Bernardus et Amelius filii Petri Gozini predicti qui infirmabantur tunc, et Matheuta, uxor Guillelmi Gozini escoponerii et Ramundus filius eorum. Sed non vidit quod adorarent eos, ut dixit.

Item dixit et confessus fuit quod in hereticaione Guillelmi Yssaura de Larnato fratris sui fuit presens Menardus soror hereticati et ipsius qui loquitur.

Item dixit et confessus fuit quod circa carniprivium proxime preteritum fuerunt sex anni vel circa, ut sibi videtur de tempore, Guillelmus Sabaterii de Limoso maior dierum venit apud Lordatum ad domum pagris ipsius qui loquitur, et ibi devenit infirmus, et iacuit in quadam borda dicti hospicii in qua consueverant reponere herbas. Et ssagtis cito post eius adventum dictus Guillelmus fuit hereticatus (*En marge* : Hereticatio) et in sectam hereticorum receptus per Petrum Autrii et socium suum hereticos. Et post dktam hereticationem fuit dictus Guillelmus et vixit en la'ndura per plures septimanias, et en la'ndura vidit ipsum ipse qui loquitur. Et postquam dictus Guillelmus sic hereticatus

decesserat, sepelierunt eum in quodam orto qui erat patris ipsius qui loquitur Arnaldus Issaura, pater ipsius qui loquitur, Bernardus Monerii de Limoso, Guillelmus Sabaterii filius hereticati et ipse qui loquitur, qui tres ultimo^a fecerunt foveam ad sepeliendum dictum defunctum et sepelierunt in orto predicto.

Item dixit et confessus fuit quod de V a IIII or annis possunt esse, in estate, ut sibi videtur de tempore, quod ipse qui loquitur et Guillelmus Yssaura frater ipsius extraxerunt dictum defunctum de orto predicto, et sepelierunt eum (*En marge : Sepultura*) in quodam prato Philippi de Larnato domicelli, quod pratum est satis proximum dicto orto, ita quod non estgnisi rivus medius inter ortum et pratum predictum. Dixit etiam quod utraque sepultura fuit facta de nocte. Nescit tamen, sicut dixit, quod Philippus de Larnato aliquid sciverit de facto predicto.

Item dixit et confessus fuit quod VI anni vel circa possunt esse, ut sibi videtur de tempore, Guillelmus Yssaura frater ipsius qui loquitur dixit ei quod quidam beguinus (*En marge : De morte beguini*) fuerat absconditus seu exterminatus, quia volebat decipere et tradere inquisitoribus Petrum et Guillelmum Auterii hereticos. Et nescit, ut dixit, nec recolit se audivisse per quos fuit absconditus dictus beguinus.

Item dixit et confessus fuit quod in mense septembri proxime preterito fuit annus vel circa quod Ermengardis mater ipsius qui loquitur infirmabatur in domo sua apud Larnatum de infirmitate de qua obiit, et quod ipsa petivit et voluit habere de hereticis qui eam hereticarent in fide et sectam hereticorum, et quod Ramundus Yssaura frater ipsius qui loquitur ivit ad querendum et adducendum et adduxit (*En marge : Adductio*) Philippum de Constanciano hereticum ad hereticandam et recipiendam matrem suam predictam, et quod antequam dictus hereticus pervenisset ad domum et locum ubi iacebat mater sua infirma predicta decessit et mortua est, et sic non fuit recepta, ut dixit.

F° 38 r° (XLV) Interrogatus si alias vidit, audivit, ... penitentiam salutarem^b.

Acta fuerunt hec anno, die et loco predictis coram dicto inquisitore, presentibus Fratre Iohanne de Felgosio ordinis Fratrum Predicatorum, magistris Petro Boerii, Arnaldo Assaliti notariis Carcassone domini Regis, Guillelmo de Spernone, Theobaldo Baudeti servientis^c Civitatis Carcassone domini Regis. Et ego Bartholomeus Adalberti de Carcassona auctoritate regia publicus notarius et officii Inquisitionis iuratus, premissis omnibus interfui et ea de mandato dicti inquisitoris recepi, scripsi et signo meo signavi.

a. Corr.: ultimi.- b. Ut supra, o. 70.- c. Corr.: servientibus.-

ARNALDUS ISSAURA

F° 39 r° (XLVI) Anno Domini M° CCC° octavo, XII kls septembbris Arnaldus Issaura de Lernato, constitutus in iudicio in camera magistri Iacobi de Poloniacho custodis Muri Carcassone coram Fratre Iohanne de Felgosio ordinis Fratrum Predicotorum tenente locum religiosi viri Fratris Gaufridi de Ablusiis eiusdem ordinis, inquisitoris heretice pravitatis in regno Francie a Sede apostolica deputati, iuratus ad sancta Dei Evangelia super facto heresis de se ut principalis et de aliis vivis et mortuis ut testis plenam et meram dicere veritatem :

Dixit quod X anni et amplius sunt elapsi, ut sibi videtur de tempore, quod Blanca uxor Guillelmi de Rodesio de Tarascone quadam die martis, cum ipse testis esset apud Taraschonem ante domum ipsius Blanche, dixit sibi quod Petrus et Guillelmus Auterii, qui erant de illis bonis hominibus qui vocantur heretici, erant in domo sua, comedans eos sibi et eorum vitam et sectam, et eum inducens suis pulcris verbis quod videret eos et audiret bona verba eorum. Tunc ipse testis, ut dixit, respondit dicte Blanche quod habebat facere sua negotia in villa, quia dies forensis erat, et non poterat tunc dictos hereticos videre, sed faceret ea que habebat facere, et postea rediret ad dictam domum ad videndum dictos hereticos et ad eos audiendum. Et in sero ipse testis vidit (*En marge : Visio*) ipsos hereticos in domo dicte Blanche.

- Interrogatus quid fecit vel dixit cum eis vel quid ipsi sibi, dixit quod salutavit eos cum magna reverencia, et ipsi eum obtime receperunt, et inceperunt loqui ei et se ipsos et fidem seu sectam eorum comedare. Et dicebant quod ipsi indebite et iniuste erant persecuti per Ecclesiam romanam et per falsos christianos et religiosos, dicentes quod ipsi erant boni homines et sancti sine peccato, ita quod non iurabant nec menciebant nec faciebant malum homini, et quod habebant potestatem salvandi animas, quia tenebant et servabant viam Dei et apostolorum, et quod nullus poterat salvari nisi transiret per manus suas et nisi moreretur in fide et secta eorum.

- Interrogatus si audivit unquam eos loqui aliquid contra Ecclesiam romanam, et contra sacrificium misse et sacramenta ecclesiastica, videlicet de baptismo, de matrimonio et de signo crucis, dixit quod sic, et dicebant (*En marge : Errores*) quod Ecclesia romana nichil valebat, et non tenebat nec faciebat nec predicabat nisi fraudem et mendacia. Item dicebant quod sacrificium misse nichil valebat et ostia consecrata per capellanum non erat corpus Christi, ymmo erat panis seu pasta de frumento, et quod nullus debebat credere quod illa hostia esset corpus Christi. Item dicebant quod baptismus aque institutus per Ecclesiam romanam non proficiebat nec valebat anime nec corpori, et quod sanctus Iohannes instituerat baptismum aque, et nescivit quid fecit. Et dicebant quod ille qui non

erat baptizarus de Spiritu sancto non poterat intrare regnum Dei, dicentes quod in eis erat Spiritus sanctus. Et nullus, nisi esset baptizatus per eos et receptus in fide eorum poterat salvari.

Item quod matrimonium institutus per Ecclesiam romanam nichil valebat, et Deus non invenit illum matrimonium.

Item dicebant quod nullus debebat se signare signo crucis nec eam adorare, nec habere fidem quod posset iuvare in aliquo, ymo quilibet debebat eam vituperare et spuere etiam contra eam, pro eo, ut dicebant, quod Deus fuit positus, martiriatus et mortuus in cruce, et propter hoc omnis homo qui erat de Deo et diligebat Deum debebat habere odio crucem.

- Interrogatus si prima vice qua vidi dictos hereticos in domo dicte Blanche adoravit eos, dixit quod non.- Interrogatus de personis que erant tunc cum dictis hereticis, dixit quod dicta Blanca et ipse testis et nullus alius quod ipse viderit.

Item dixit quod post predicta elapsis VIII diebus vel circa, predictus testis dixit Guillelmo Issaura filio suo quod predicti G. et Petrus Auterii heretici erant in domo dicte Blanche de Rodesio, et quod *F° 39 v°* iret et adduccret eos ad domum ipsius testis, quod et fecit dictus filius suus. Et steterunt ibi (*En marge : Visio et receptio domo*), ut sibi videtur, IIIor diebus et IIIor noctibus, comedendo et bibendo ibi.- Interrogatus unde habebant panem et vinum et alia sibi necessaria pro victu, et quis illis administrabat eis, dixit quod ipse providebat eis de suo proprio, et ipsimet coquinabant, nolentes quod aliquis alias poneret ibi manum. Et habebant ollam et paropsides in quibus nullus comedebat nisi ipsi, et non comedebant aliquam pinguetudinem nec ova nec caseum.

- Interrogatus de personis qui viderunt ibi dictos hereticos, dixit quod Ermengardis uxor sua nunc mortua, Guillelmus et Petrus ac Ramundus filii sui et ipse testis, et nullus alius quod ipse viderit.

- Interrogatus si audivit tunc predicationem et monitionem dictorum hereticorum, dixit quod sic, dicentes et loquentes ut supra (*En marge : Predicatio*).

- Interrogatus si adoravit eos, dixit quod sic, edoctus per eos, amoto capucio, flexis genibus et dicendo ter : "Benedicite", et dicti heretici respondebant : "Deus vos benedic".- Interrogatus qui erant ibi presentes, dixit quod uxor sua et filii sui predicti. – Interrogatus si ipsi filii et uxor adoraverunt dictos hereticos, dixit quod non quod ipse viderit.

- Interrogatus quo iverunt dicti heretici quando recesserunt de domo sua, dixit se nescire, sed Gulllelmus filius suus associavit eos usque ad rippariam dicti loci.

Item dixit quod VIII anni et amplius sunt elapsi, aliter non bene recordatur de tempore, quod Iacobus Auterii filius Petri Auterii et Poncius de Ax fuerunt recepti in fide et secta hereticorum et hereticati et facti heretici perfecti apud Lernatum in domo ipsius testis, quadam die de qua non recordatur.

- Interrogatus qui heretici receperunt eos in dictam sectam, dixit quod Petrus et G. Auterii predicti.- Interrogatus de modo receptionis, dixit quod Iacobus Auterii et Poncius de Ax predicti stabant coram Petro et Guillelmo Auterii predictis, flexis genibus et iunctis manibus, et petebant quod induerent eos de bonis que Dominus dederat eis. Tunc predicti heretici dixerunt : "Nos recipimus vos", et dixerunt eis quod tenerent et servarent mandata Dei, et facerent illas abstinentias et ieunia que ipsi faciebant. Et exprimebant aliqua de quibus ipse testis non recordatur, ut dixit. Et predicti Iacobus et Poncius totum concedebant hereticis supradictis.

Dixit etiam quod dicti heretici loquebantur multa verba coram dicitis hereticatis de apostolis et de Evangeliiis, de quibus verbis dixit ipse testis quod non potest recordari.

Qua hereticatione sic facta, predicti duo heretici osculati fuerunt in ore hereticos supradictos.

- Interrrogatus qui fuerunt presentes in dicta heerticatione, dixit quod ipse testis et hereticati predicti, et nullus alius quod recordetur.- Interrogatus si adoravit dictos hereticos tunc, dixit quod non.

Interrogatus si fuerunt ibi diu dicti heretici, dixit quod statim exiverunt duo, videlicet G. Auterii et Poncii de Ax, et alii duo, videlicet Petrus et Iacobus Auterii remanserunt in domo sua et steterunt ibi, ut sibi videtur, per unam vel duas dies et duas noctes. – Interrogatus que persone viderunt eos ibi, dixit quod Ermengardis uxor sua et filii sui predicti et ipse testis et nullus alius quod ipse sciat.- Interrogatus quo iverunt quando recesserunt de dicta domo sua, dixit se nescire.

Item dixit quod V anni vel circa sunt elapsi quod Poncii de Avinione fuit receptus in fide et secta hereticorum, et hereticatus et factus hereticus perfectus apud Lernatum in domo ipsius testis, et Petrus ac Guillelmus Auterii heretici predicti secundum modum superius expressum receperunt eum in sectam suam (*En marge* : Hereticatio Ponci de Avinnione).

- Interrogatus de personis que fuerunt dicte receptioni, dixit quod ipse testis et heretici duo et hereticatus predictus, et nullus alius.- Interrrogatus si adoravit tunc dictos hereticos, dixit quod non.- Interroçgatus si fuerunt ibi diu tunc in dicta domo sua, dixit quod non, ymmo statim, de nocte tamen, exiverunt, et nescit, ut dixit, quo ivderunt.

Item dixit quod anno predicto vel circa, ut sibi videtur de tempore, Guillelmus Sabaterii de Limoso infirmabatur apud Lernatum in domo ipsius testis ea infirmitate de qua obiit, in qua infirmitate fuit receptus in fide hereticorum et hereticatus et mortuus in illa fide, et sepultus in orto suo extra villam de Lernato.

- Interrogatus qui heretici receperunt et hereticaverunt eum, dixit quod Guillelmus Auterii predictus.- Interrogatus si fuit ipse presens dicte hereticationi, dixit quod non fuit in principio quando incepérunt ipsum hereticare, $F^{\circ} 40\ r^{\circ}$ (XLVII) sed antequam totum fuisset factum, sciens quod hereticabatur, venit ibi et vidit quod dictus hereticus tenebat unum librum super pectum dicti infirmi in quo legebat multa verba que ipse testis non intelligebat, ut dixit. – Interrogatus que persone erant presentes, dixit quod Guillelmus Sabaterii filius dicti hereticati, ipse testis et dictus hereticus et nullus alius quod ipse viderit.- Interrogatus si ipse vel dictus Guillelmus Sabaterii adoraverunt dictum hereticum, dixit quod non, sed facta dicta hereticatione dimisit dictum hereticatum. Tamen remansit in domo predicta, et statim decessit hereticatus predictus.

Item dixit quod Petrus et Guillelmus et Iacobus Auterii de Ax, Poncii de Avinione, heretici predicti, et Pradas Tavernerii, Amelius de Perlis, Philippus de Talayracho, Ramonetus Fabri et Petrus Ramundi de Sancto Papulo heretici (*En marge* : Visio multorum hereticorum) multociens et tociens quod nullo modo potest de numero recordari ab VIII^o annis citra, non tamen simul, sed diversis temporibus, fuerunt in domo ipsius testis apud Lernatum. Aliquociens veniebant duo simul, aliquociens unus solus et de nocte, et percussiebant tectum dicte domus sicut erat condicuum inter ipsum testem et dictos hereticos. Tunc illi qui erant de domo predicta, videlicet ipse testis vel aliquis de filiis suis aperiebat ostium dictis hereticis, et stabant dicti heretici per unam noctem et unum diem, et aliquociens remanebant ibi per duas et per tres et per IIIIor dies et noctes, et comedebant et bibebant de bonis dicti testis. Tamen ipsi heretici tradebant aliquam pecuniam sibi pro

expensis suis predictis, non tamen quantum expendebant, ut dixit.

- Interrogatus si aliquis homo veniebat cum dictis hereticis, dixit quod non quod recordetur.

Item dixit interrogatus quod Petrus Auterii et Iacobus Auterii filius suus heretici predicti magis quam alii heretici et sepius veniebant, frequentabant et stabant in domo sua.- Interrogatus de tempore quo ipsi heretici fuerunt ultimo in dicta domo sua, dixit quod circa festum Omnim sanctorum proxime venturum erit annus quod Guillelmus Auterii hereticus predictus fuit ibi ultimo et stetit ibi per unam noctem et unam diem.

- Interrogatus que persone viderunt et visitaverunt in domo sua predicta hereticos supranominatos vel aliquem seu aliquos ex eis temporibus supradictis, dixit quod Guillelmus de Rodesio, Geraldus frater eius de Taraschone, Philippus de Lernato, Atho de Castro de Ravato, Guilllemus de Area de Querio, Ramundus et Petrus filii dicti testis, et Ermengardis uxor sua.

- Interrogatus si adoravit dictos hereticos stantes in domo sua predicta, dixit quod sic (*En marge* : Adoratio), semel qualibet die quando erant ibi, flexis genibus coram eis, dicendo "Benedicite", et dicti heretici respondebant "Deus vos benedic".- Interrogatus qui erant presentes, dixit quod uxor sua et filii sui predicti.- Interrogatus si uxor sua et filii sui vel aliique persone superius per ipsum nominate adoraverunt unquam dictos hereticos vel aliquem ipsorum, dixit quod sic, pluries, ipso presente et vidente, flexis genibus, ter dicendo "Benedicite", hereticis respondentibus ut supra.-

- Interrogatus si audivit predicationes et monitiones dictorum hereticorum, dixit quod sic, pluries, qualibet vice quando erant in domo sua, dicendo et loquendo contra Ecclesiam romanam et fidem catholicam et comedando et approbando sectam suam et vitam ut supra dixit.

Item dixit quod V anni vel circa sunt elapsi quod Blanca, uxor Guillemi de Rodesio, quadam die de qua non recordatur, dixit sibi quod Petrus et Iacobus Auterii predicti erant in domo sua. Et statim ipse testis ivit ad dictos herticos et vidi eos ibi. - Interrogatus quid fecit vel dixit cum eis, dixit quod salutavit eos cum magna reverencia, et petiit si erat bene eis, et ibi adoravit eos flexis genibus, dicendo "Benedicite" ut supra (*En marge* : Adoratio). Et facta dicta reverencia et adoratione, statim recessit ab eis.- Interrogatus que persone erant ibi presentes, dixit quod Blanca predicta et Pontius de Rodesio de Taraschone.

Item dixit se vidisse VI anni vel circa sunt elapsi in domo Arnaldi Piquerii de Taraschone predictos duos hereticos quadam die martis, et cum ipsis Arnaldum Piquerii et Mateldim uxorem suam primam. Et ibi fecit eis reverenciam (*En marge* : Adoratio) et adoravit eos ut supra, et stetit parum cum eis, et audivit bona verba eorum. Et postea recessit et dicti heretici remanserunt ibi.- Interrogatus si dicti coniuges adoraverunt tunc dictos hereticos, dixit quod non quod ipse viderit.

Item dixit quod VII anni vel circa sunt elapsi quod ipse, quadam die martis, ivit ad forum de Taraschone, et tunc Guillelmus de Area de Querio qui erat ibi dixit sibi quod Petrus et Iacobus Auterii heretici predicti erant apud Querium in domo sua. Et statim F° $40 v^{\circ}$ ipse testis ivit illuc et vidi ibi in dicta domo dictos hereticos, et fecit eis reverenciam

et adoravit eos ut supra (*En marge* : Adoratio) et audivit ipsos loquentes multa verba bona de Deo, tamen Ecclesiam romanam contempnando et vituperando.-

- Interrogatus que persone erant ibi presentes, dixit quod dictus Guillelmus de Area et Guillelma mater eius et nullus alias quod ipse viderit.- Interrogatus si adoraverunt dictos hereticos, dixit quod non quod ipse viderit.

Item dixit quod eodem tempore vel circa vidit predictos duos hereticos in domo predicta Guillelmi de Area apud Querium, et una vice erat ibi cum eis Guillemus Petri de Limoso et Guillema mater dicti Guillelmi de Area, et alia vice erat ibi cum eis dicta Guillelma et nullus alias quod ipse viderit.- Interrogatus quare venit ad domum predictam, dixit quod venit ad videndum et visitandum dictos hereticos.- Interrogatus quid fecit vel dixit cum eis, dixit quod fecit eis reverenciam et adoravit eos (*En marge*: Adoratio) flexis genibus, dicendo "Benedicite" ter ut supra, et audivit predicationem et monitionem eorum ut supra. Et hoc facto et auditio recedebat ab eis, ipsis hereticis remanentibus in loco seu domo predicta.

Item dixit quod unus annus et amplius est elapsus quod Ramundus Sabaterii de Lordato quadam nocte venit apud Lernatum ad domum ipsius testis, petens et inquirens si erat ibi Amelius de Perlis hereticus, qui hereticus tunc erat ibi (*En marge* : Receptio). Et cum comedisset et bibisset cum dicto heretico, recessit de domo predicta, et dictus hereticus cum ipso.- Interrogatus quo iverunt, dixit se nescire, sed credit quod apud Lordatum ad domum dicti Ramundi, aliter nescit pro certo.

Item dixit quod IIII anni vel circa sunt elapsi, quadam nocte quando gentes debebangire cubitum, Guillelmus de Lusenacho venit apud Lernatum ad domum ipsius testis, et aportavit pices, videlicet tructas, Petro et Guillemo Auterii hereticis, qui erant ibi (*En marge* : Contra Guillelum et Petrum de Lusenacho). Item eadem nocte paulo post venit Petrus de Lusenacho frater dicti Guillelmi, portans pices similiter hereticis supradictis.- Interrogatus si predicti fratres comederunt cum dictis hereticis, dixit quod Guillelmus predictus comedit cum eis in eadem mensa et habuit partem suam de dictis picibus.- Interrogatus si ipse testis comedit cum eis tunc, dixit quod non, sed bene miserunt sibi de picibus predictis, quos ad aliam partem comedit cum uxore sua.

- Interrogatus si dicti fratres steterunt diu cum dictis hereticis, dixit quod Petrus predictus statim recessit, et dictus Guillelmus remansit et stetit cum ipsis per totam diem crastinam et noctem sequentem usque prope diem quod recessit, dictis hereticis in domo ipsius testis remanentibus.- Interrogatus si dicti fratres vel aliquis eorum adoraverunt tunc dictos hereticos, dixit se nescire.

Item dixit quod duo anni vel circa sunt elapsi quod quidam homo cuius nomen ignorat venit quadam nocte apud Lernatum ad domum ipsius testis, dicens ei quod Guillelmus de Area de Querio mittebat eum ibi, quod sciret cum ipso teste si erat ibi aliquis christianus, videlicet hereticus, quia quedam mulier (et vocabatur Fina) infirmabatur ad mortem et volebat recipi in fine per hereticos in secta eorum. Et tunc erat in dicta domo ipsius testis (*En marge* : Recepere), ut dixit, Amelius de Perlis hereticus, ut sibi videtur, cui ipse significavit et dixit predicta. Et dictus hereticus dixit : "Bonum est quod vadamus". Tunc dictus testis rediit ad dictum hominem qui venerat pro dicto heretico, et dixit sibi quod iret et expectaret aliquantulum in quodam clauso in exitu ville, quod clausum ipse testis ostendit eidem. Et ibi in dicto clauso ipse qui loquitur misit dicto

homini hereticum supradictum cum Ramundo filio ipsius testis, qui associavit eum usque ad rippariam de Lernato. Et ibi dimisit ipsum hereticum cum dicto homine. Qui hereticus et ille homo recesserunt prout audivit a dicto filio suo, et nescit quo iverunt. Et dictus filius suus rediit ad domum suam predictam.

Item dixit quod IIIro anni et amplius sunt elapsi quod Vitalis de Merenw quadam nocte venit apud Larnatum ad domum suam, et invenit ibi Petrum Auterii hereticum predictum (*En marge*: Recept.), et extraxit eum de loco illo, et adduxit versus Merenx.- Interrogatus si adoravit eum in adventu, dixit quod non quod ipse...

Deest folio

CONFESSIO ATHONIS DE CASTRO

F° 43 r° (LI) Anno Domini M° CCC° VIII° Atho de Castro domicellus filius quondam domini Assaliti Baudoyni de Culha dyocesis Appamiensis, constitutus in iudicio coram religiosis viris Fratribus Geraldo de Blumaco priore conventus Fratrum Predicotorum Carcassone et Iohanne de Felgosio eiusdem ordinis, tenentibus locum religiosi viri Fratris Gaufridi de Ablusiis eiusdem ordinis, inquisitoris heretice pravitatis in regno Francie auctoritate apostolica deputati, iuratus ad sancta Dei Evangelia dicere veritatem de facto heresis tam de se ut de principali quam de aliis vivis et mortuis ut testis, promissa sibi gratia de corpore et rebus et penitentia confusibili ob reverenciam nobilis viri domini Petri Arnaldi de Castroverduno militis, senescalli domini Comitis Fuxensis, si plenam et meram diceret veritatem :

Dixit et confessus est quod VII anni sunt vel circa quod Philippus de Larnat domicellus, filius quondam domini Philippi de Larnat militis, quadam die de qua non recordatur, cum loquerentur inter se de quibusdam verbis, inter illa verba predictus Philippus petiit ab ipso quis erat et si erat bonus homo. Et ipse respondit quod sic.- Interrogatus quid intelligebat per ista, respondit quod credit quod hoc vellet dicere : si ipse erat credens hereticorum. Et postea dictus Philippus dixit ei multa verba ad commendationem hereticorum, de quibus non recordatur, ut dixit.

Postea vero circa festum Pasche vel Pentecostis, dixit ipsi testi si volebat ire ad tenendum festum cum eo apud Urz. Qui respondit quod sic. "Ergo veniatis, dixit predictus Philippus, ad iacendum ad domum meam apud Larnatum, et inde procedemus". Et ipse testis respondit quod placebat ei, et ivit in vigilia Pasche vel Pentecostis. Et cum fuit ibi, predictus Philippus duxit eum per villam, et venit ante domum Arnaldi Issaura dicti loci. Qui cum loquerentur simul, dictus Philippus dimisit dictum testem cum dicto Arnaldo, et tunc dictus Arnaldus loquitus est ipsi testi de facto hereticorum.- Interrogatus de verbis, dixit se non recordari.

Et post multa verba, ipse testis rogavit dictum Arnaldum quod esset amicus suus et quod esset rogatus de profecto suo, volens recedere ipse testis cum dicto Philippo qui ad eos redierat. Et tunc dictus Arnaldus recepit ipsum testem per manum suam et introduxit eum cum dicto Philippo in domum suam, et invenit ibi quandam mulierem prope domum in quodam orto, cuius nomen ignorat. Et cum fuerunt in quodam cellario, invenerunt ibi Petrum et Guillelmum Auterii fratres hereticos (*En marge : Visio*), et quandam iuvenem cum eis XVIII annorum vel circa quem non novit.

Et sederunt ibi, et tunc alter dictorum hereticorum incepit legere in quodam libro Visionem Ysaie. Et cum stetissent ibi et legisset per aliquod spacium, dimisit legere. Et cum ipse testis vellet^a, unus dictorum hereticorum dedit ipsi testi unum capellum lineum (*En marge* : Receptio doni), dicens : "Portate istud amore mei", et ipse recepit, et sic dicesserunt ab invicem.

- Interrogatus quomodo sciebat ipsos esse tales, dixit quod antequam fugerent de terra noverat eos, et audiverat quod heretici erant, et tales credebat eos esse.

Et cum recederent, dictus Philippus interrogavit ipsum testem si placebat sibi quia viderat dictos hereticos, et ipse testis respondit quod sic, multum, et sic recesserunt.

Item dixit quod post predicta per medium annum vel circa, ut sibi videtur de tempore, quadam die de qua non recordatur, cum ipse testis esset in castro de Ravato, visitavit Bernardam Miram antiquam et infirmam, matrem de na Flors, uxore de na Milhac^b, et dixit sibi si volebat habere hereticos. Que respondit quod multum regraciaret Deo si eos posset habere. Et tunc ipse qui loquitur post predicta verba per aliquos dies dixit Arnaldo Ishaura, ut sibi videtur de dicto Arnaldo, quod procuraret (*En marge* : Procur. Hereticationis) quod dicta Bernarda haberet hereticos, quia multum desiderabat eos habere et audire. Et post predicta per quinque dies vel circa dicta Flors dixit ipsi testi quod Guilllemus Auterii predictus cum iuveni iverant in domo matris sue, et quod ipsa et mater sua receperant eos ibi, et quod multum desiderabant eum videre, et quod in brevi debebant redire.

Item dixit quod post predicta per VIII° dies vel circa, quadam nocte de qua non recordatur, quidam filius qui est mortuus dicti Arnaldi Ishaura venit ad domum suam, et dixit ei quod predictus Guilllemus Auterii erat ibi, qui volebat sibi loqui. Et tunc ipse testis ivit ad eum et invenit eum ibi iuxta domum suam iuxta unam consiram, et salutavit eum modo communi. Et tunc dictus hereticus dixit ipsi testi quod vellet videre dictam Bernardam. Et tunc ipse testis ivit ad domum dicte Beranrde F° 43 v° et loquutus^c cum dicta Flors filia dicte Bernarde, et dixit ei quod dictus Guilllemus Auterii hereticus erat ibi, et quod volebat videre dictam matrem suam. Et dicta Flors dixit ei quod non iret, quia ibi erat dictus Amilhac, vir suus, et nolebat quod videret eum, quia timebat quod ipse revelaret hoc si videret. Et tunc ipse testis rediit ad dictum hereticum et dixit ei quod non iret, quia dictus Amilhac, vir dicte Flors, erat ibi. Et tunc Guilllemus Auterii hereticus recessit ab eo. Interrogatus si scit quo ivit vel unde venerat, dixit quod credit quod venisset de Larnato de domo predicti Arnaldi Ishaura, et quod ibi redierat.

Item dixit quod post predicta post aliquos dies, et aliter non recordatur de tempore, quadam nocte de qua non recordatur, dictus filius Arnaldi Ishaura venit cum predicto iuvene quem viderat cum dictis hereticis, et venerunt ad domum ipsius testis, et dixit sibi quod volebant videre dictam Bernardam. Et ipse testis respondit quod dictus Amilhac vir dicte Flors erat ibi, et quod non consulebat quod irent. Et tunc dedit ipse testis dicto iuveni quem viderat cum dictis hereticis II solidos Regalium (*En marge* : Donum), et sic recesserunt ab eo. Et credit quod venerunt de Larnato de domo Arnaldi Ishaura et quod ibi redierunt.

- Interrogatus si unquam alias dedit vel misit aliquid hereticis, dixit quod sic, semel misit eis X solidos Regalium per dictum Philippum de Larnato (*En marge* : Donum).

- Interrogatus si scit aliquid aliud de facto heresis de se vel de aliis personis vivis vel mortuis, et si unquam adoravit hereticos vel dedit aliquid eis, et si associavit eos de

a. *Adde* : recedere.- b. *Corr.* : de'n Amilhac.- c. *Adde* : fuit.-

loco ad locum, et si comedit de pane benedicto per eos, et si scit quod aliqua persona fuerit hereticata, dixit quod non, nisi quod dixit se credere quod predicta Bernarda Mira fuerit hereticata in fine, et aliter nescit ex causis predictis.

Item dixit quod post predicta per aliquod tempus, et non recordatur de die nec de tempore, invenit Guillelmum de Lega^a de Quier prope Tarasconem, et ipse testis interrogavit dictum Guillelmum quomodo erat Petro Auterii et Guillelmo fratri suo hereticis, et ipse respondit quod non nec sciebat quas vias tenebant. – Interrogatus si dictus Guillelmus de Leyra erat credens heeticorum, respondit quod credit sic.

Et iuravit et abiuravit et fuit reconciliatus. Et fuit protestatus quod si recorderetur de pluribus quod paratus est tunc dicere veritatem.

Hoc depositus anno et loco quibus supra quinto idus mayi, in quadam aula conventus Fratrum Predicotorum Appamiarum coram predictis locum tenentibus, in presencia et testimonio domini Petri Arnaldi de Castroverduno militis, senescalli domini Comitis Fuxensis, et domini Frisci Ricomanni doctoris Legum, et religiosorum virorum Fratrum Predicotorum Guillelmi de Anhanis prioris conventus Fratrum Predicotorum Tholose et Sixti de Lesaco et Bernardi de Villela, et mei Iacobi Marquesii notarii Inquisitionis qui hec scripsi et recepi.

Posque anno Domini M° CCC° nono, octavo idus augusti Atho de Castro predictus veniens ad presenciam religiosi viri Fratris Gaufridi de Ablusiis ordinis Predicotorum, inquisitoris heretice pravitatis in regno Francie per Sedem apostolicam deputati et constitutus coram eo in iudicio in domo Fratrum Predicotorum Carcassone, iuravit ad sancta Dei Evangelia super facto heresis tam de se quam de aliis vivis et mortuis puram et meram dicere veritatem.

Dixit et confessus fuit se alias fecisse confessionem super facto heresis apud Appamias in domo Fratrum Predicotorum coram Fratribus Geraldo de Blumaco et Iohanne de Felgosio ordinis predicti, locum tenentibus dicti inquisitoris, que confessio sicut supra scripta est fuit eidem Athoni lecta et recitata... in omnibus et singulis premissorum^b.

Postque anno Domini M° CCC° decimo nono, die sabbati in vigilia festi beati Iohannis Bapgtiste, predictus Atho de Castro, veniens non citatus coram religioso viro Fratre Iohannis de Belna, ordinis Predicotorum, inquisitore heretice pravitatis in regno Francie per Sedem apostolicam deputato, iuratus ad sancta Dei Evangelia dicere veitatem puram et plenam de facto heresis de se ut principalis et de aliis vivis et mortuis sicut testis, dixit et confessus fuit per iuramentum suum se alias confessum fuisse et confessionem fecisse de facto heresis et eam alias conbirmasse coram religioso viro Fratre Gaufrido de Ablusiis inquisitore. Que confessio prout supra scripta est fuit eidem Athoni lecta et recitata per me Petrum Boerii tabellionem publicum infrascriptum intelligibiliter in vulgari,

a. Corr.: Leyra.-

quam approbavit, innovavit, ratificavit et confirmavit tanquam veram et nullam in toto vel in parte continentem falsitatem, et in ipsa confessione et contentis in ea dixit se velle stare et perseverare perpetuo, et nunquam contravenire.

Dixit etiam, confessus fuit interrogatus quod hereticos credidit esse bonos homines et habere bonam fidem et se posse salvari in fide et secta eorum, et se bene facere videndo et visitando eos et eis de suo benefaciendo.

Dixit etiam interrogatus se nolle aliquid aliud addere, minuere, mendare, emendare, corrigere vel mutare circa confessionem suam predictam, sed in ea dixit se velle stare et perseverare perpetuo ut supra.

Hec dixit, depositus et confessus fuit predictus Atho, et acta fuerunt anno, die et loco predictis, presentibus Fratre Iohanne Stephani ordinis Predicatorum socio dicti domini inquisitoris, magistro Iacobi de Poloniacho custode Muri Carcassone, testibus ad premissa vocatis, et me Petro Boerii tabellione publico Apostolica, Imperiali, Regis et officii Inquisitionis heretice pravitatis notario, qui predictis interfui et ea recepi et scripsi^a.

a. *Le folio 45 manque.-*

PETRUS DE GALHACO

F° 46 r° (LIV) Anno Dominice incarnationis M° CCC° VIII°, X° kls novembris, ego Petrus de Galhaco, notarius de Taraschone, citatus comparens et in ioudicio constitutus coram religosis viris Fratre Gaufrido de Ablusiis ordinis Fratrum Predicorum, inquisitore heretice pravitatis in regno Francie auctoritate apostolica deputato in domo Inquisitionis Civitatis C>arcasone, in loco vocato Audiencia, iuratus ad sancta Dei Evangelia super facto heresis de me ut principalis et de aliis vivis et mortuis ut testis plkenam et meram dicere veritatem, tnaquam reus et peccator in crimine supradicto recognosco et confiteor me err asse et deliquisse in crimpine memorato, et super hiis que comisi in heresi confessionem fecisse in iudicio constitutus coram reloigioso viro Iohanne de Falgosio predicti ordinis, tenengte locum dicti domini inquisitoris anno Domini M° CCC° VIII°, III nonas augusti, postquam tamen detentus per aliquod tmepus in Muro seu carcere Muri Carcassone. T iuratus coram dicto locum tenente et interrogatus per eum de me ut principalis et de aliis vivis et mortuis ut testis super dicto crimine heresis meram et plenam dicefre veritatem :

Dixit et confessus fui quod VIII anni vel circa fuerunt ante festum Nativitatis beati Iohannis Baptiste proxime preteritum quod ego veneram de studio Tholosano. Et cum fui apud Taraschonem in domo propria, domina Galharda mater mea dixit et significavit michi quod Petrus et Guilllemus Auterii de Ax erant in villa Taraschonis, qui venerant de partibus Lombardie, et erant in domo Arnaldi Piquerii de Taraschone, et quod tenebant fidem et sectam hereticorum, quam ipsi bonam et catholicam reputabant.

- Et fui interrogatus per dictum locum tenentem predicti domini inquisitoris si tunc ivi visum ad instigationem dicte domine matris mee, et respondi quod non, sed paulo post in vigilia beati Iohannis Bapbiste, una cum domina matre mea, ivi ad domum dicti Arnaldi Piquerii, et inveni in quadam camera dicte domus Petrum Auterii et Iacobum Auterii hereticos predictos (*En marge : Visio*), qui michi fidem et sectam eorum et vitam quam ducebant expresserunt, dicentes quod prima facie penes homines mundanos dicta eorum secta mala et inutilis habebatur, dicebatur et reputabatur. Tamen qui perfecte et firmiter sciret fundamentum et in ea crederet, utilis erat et ad bonum finem et viam salvationis ducebat hominem. Tunc ego nichil respondi eisdem, sed recepto comeatu, totus intra me attonitus et stupefactus et timidus recessi ab eis.

- Et fui interrogatus per dictum locum tenentem qui erant ibi presentes, et dixi quod dicta domina mater mea et ego et dicti heretici, et nullus alius.- Item fui interrogatus si feci eis aliquam reverenciam tunc, et dixi quod non.

Item dixi quod post predicta, elapsis XV diebus vel circa, ego emi in platea de Taraschone quandam tructam, de mandato Alissendis, uxoris quondam Petri Martini dicti loci, que tradidit michi XII denarios pro emenda dicta tructa, et dixit michi quod portarem eam et darem ex parte ipsius Alissendis hereticis supradictis, qui erant in domo Arnaldi Piquerii supradicti, quod et feci (*En marge* ; Portavit her.).

- Et fui interrogatus si erat alia persona ibi tunc cum dictis hereticis quando presentavi eis dictam tructam, et dixi quod non.- Item fui interrogatus si comedи vel bibi cum dictis hereticis, et dixi quod sic (*En marge* : Com.).- Item fui interrogatus quid comedи, et dixi quod dicti heretici dederunt michi partem dicte tructe, quam ipsi optime decoquerant et paraverant in bonis speciebus, et comedи de pane ab ipsis hereticis benedicto.- Et fui interrogatus de modo benedictionis, et dixi me non recordari, sed bene vidi quod fregerunt unum panem per listas, et dicebant quedam verba de quibus dixi me non recordari nec adhuc recordor.

Et fui interrogatus si audivi predicationem et monitionem eorum, si audivi ipsos loqui aliquid contra fidem Ecclesie romane vel contra articulos fidei vel sacramenta ecclesiastica, videlicet de sacrificio misse, de baptismo, de matrimonio et de omnibus aliis quos heretici credunt et dicunt contra fidem catholicam. Et dixi et respondi quod sic.- Et fui interrogatus quid dicebant dicti heretici de Ecclesia romana, et dixi quod ipsi dicebant quod non habebat potestatem peccata *F° 46 v°* parcendi, eo quia dicebant eam esse lutosam et plenam malis operibus et exemplis, quia non tenebat viam salvationis, ymmo perditionis.

Item dicebant quod panis in altari positus et benedictus verbis quibus Christus ipsum benedixit die Cene cum apostolis non erat verum corpus Christi, ymmo delusorium et scandalosum est dicere, quia ille panis est panis corruptionis et a radice corruptionis motus et natus. Sed ille panis de quo dixit Christus in Evangelio : "Accipite et manducate ex hoc omnes, etc..." est Verbum Dei; et sanguis de quo ibidem loquitur assimili Verbum Dei iuxta Evangelium beati Iohannis, qui dixit : "In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum". Quare ex hoc concludebant Verbum Dei esse ille panisqde quo loquitur in dicto Evangelio, et post consequens predictum Verbum esse corpus Christi.

Item dicebant quod magmonium de quo loquitur in Evangelio : "Nubat in Christo", et "Erunt duo in carne una, etc..." penes Ecclesiam romanam ficte et simulate fit, et non secundum Verbum Dei, pro eo est, prout dicitur in Evangelio : "Deus fecit matrimonium in Paradiso", illud matrimonium fuit de anima et spiritu, utpote ex re spirituali et non ex carnibus nec ex causa corruptionis prout per Ecclesiam romanam fit, quia in Paradiso nunquam fuit carnis corruptio, nec aliquid nisi merum et purum spirituale. Et Deus fecit illud matrimonium ad hoc ut anime que a Celo ceciderunt inscienter per superbiam et erant in hoc mundo, cum matrimonio Sancti Spiritus, videlicet in bonis operibus et abstinentia peccatorum ad Vitam redirent, et essent "duo in carne una" prout legitur in Evangelio. Sed illud quod fit per Ecclesiam romanam, prout ipsi dicebant, copulatur ex duobus diversis casribus, et sic non sunt "duo in una carne", ymmo masculus et femella quisque pro se in diversis.

Item dixi et deposui quod dicebant quod nemo debebat crucem adorare nec eius signum prodest, pro eo quia Deus passus fuit ibi mortem et magnum dedecus. Et ponebant exemplum : Si aliquis homo suspendebatur^a in aliquo arbore, semper illa arbor amicis suspensi et parentibus esset odiosa et eam vituperarent, et nunquam illam arborem videre vellent. Assimili locum in quo Deus quem diligere debemus suspensus fuit odio habere debemus, et nunquam deberemus eius presentiam affectare.

Item de baptismo dicebant quod inscienter, non secundm ordinationem Dei fit in Ecclesia roman, pro eo quia, prout legitur in Evangelio : "Qui crediderit et bbtizatus fuerit in aqua Spiritus sancti etc...", illa cum qua pueri per Ecclesiam romanam bbtizantur non est aqua Sancti Spiritus, ymmo aqua fetoris et corruptionis, et talis que non habet potestatem peccata luendi. Sed aqua Sancti Spiritus de qua loquitur in Evangelio et de qua Deus mandavit : "Bbtizate..." est Verbum Dei et eius bona opera, et quicumque ea facit et Verbum credit, ille est bbtizatus ex aqua Spiritus sancti.

Item dicebant dicti heretici de transitu ultra mare quod nichil valet, nec ob hoc peccata homini remittuntur gratis, quia quamvis dicatur in Evngelio: "Quicumque vult venire post Me abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me", verum est, tamen Christus non loquitur nec eius intentio est de tali cruce panni, nec rerm corruptionis quam transeuntes ultra mare portant, sed de cruce, id est de bonis operibus et vita pura et de observatione Verbi Dei : illud est crux Christi, et qui illud servat, ille "sequitur proprium et abnegat semetipsum et tollit crucem suam", et non crucem corruptionis prout est predicta.

Item dicebant quod Papa, cardinales, episcopi, abbates et presbiteri non habent potestatem indulgendi peccata, ex eo quia predicti sunt immundi et malo spiritu imbuti, utpote mala opera facientes, non tenentes seu sequentes Verbum Dei, ymmo sunt adhaurantes ydola, et falsi prophete, malas fructus, videlicet vanitates et mendacia loquentes, cupidi, avari, fornicatoresque, Maledicti adulatores, Dei blasphemantes, adulteri, gulosi, invidiosi et mala opera operantes, iuxta id quod legitur : "Attendite a falsis prophetis qui veniunt ad vox in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoscetis eos", et iuxta illud : "Immundus non potest mundare immunda". Sed ipsi heretici...

Deest folio.

a. *Sic.-*

De Larnato : Philippus de Larnato, Sibilia eius mater, Arnaldus Yssaura, Ramundus filius eius, Petrus filius dicti Arnaldi.

De Alione : Ramundus Porcelli, Guillemus Porcelli, Ramundus Azemarii, Arnaldus Baiuli, quidam qui vocatur Belotus.

De Luzenac : Petrus de Luzenaco, Guillelmus Bernardi eius frater, Luzenacus frater eius, Bernardus frater eorum, domina Ramunda mater eorum.

De Lordato : Magister Arnaldus Textoris, Ramundus Sabaterii, Guillelmus de Vernauso.

De Querio : Petrus den Ugol, Ermengardis eius uxor, Guillelmus de Area, Ramundus de Area, Bernardus de Area, Guillelma mater eorum, Ramundus Petri iunior, Bacalarius filius Petri Beneti, Iacobus Tarterii.

De Ugenaco : Bernardus de Ugenaco iunior, Guillelmus eius frater, Ramundus eius frater, Galhardus eius frater, Iacobus eius frater, mater eorum, Petrus Martini, Arnaldus Martini filius eius, Guillelmus Martini filius dicti Peri, Petrus Gratus.

De Ravato : Atho de Castro, domina Miracla eius mater, Guillelmus-Arnaldi de Castro, Guillelmus Macari.

Item dixi me audivisse dici tam ab aliquibus ex ipsis credentibus, non recordor tamen a quibus, quod Iordanus de Ravato et Galharda mater mea et Guillelma uxor quondam Berrandi Mercerii, Bernardus Tornerii, Petrus de Area, Guillelmus Augerii et uxor quondam Arnaldi Piquerii, omnes isti de Tarascone, fuerunt in fine hereticati et decesserunt in illa fide.

Item dixit me audivisse dici communiter, tam ab ipsis hereticis quam a dictis credentibus de quibus tamen non recordor, quod ipsi heretici habebant maiorem frequentationem et conversationem habitandi inter alios credentes et maiorem amicitiam et familiaritatem cum eis in domibus, videlicet :

De Tarascone : Arnaldi Piquerii, Alamande uxoris quondam Arnaldi de Sos, Bernardi Ceavel fabri, Ramundi Sutra fabri.

Et apud Ugenaum : in domo Petri Martini.

Apud Ax : in domo Sibilie den Balle.

Apud Larnatum : in domum^a dicti Arnaldi Eyssaura.

Apud Querium : in domo Guillelmi de Area et fratrum suorum.

Item in domo Petri de Luzenaco et fratrum suorum.

Apud Lordatum in domo Ramundi Sabaterii.

Et ibi vel in aliquo istorum locorum credidi et credo quod reciperentur vel quod saltem ipsi sciunt habitationem ipsorum quas habent in terra Savartesii.

a. Sic.-

Item dixi quod aliquociens, prout audivi dici, predicti heretici habitant apud Carol in domo den Beito, et aliquando apud Migranesum in Donazano et aliquando apud Avelanetum in Mirapiscecio.- Et fui interrogatus in quibus ospitiis, et dixi quod bene audivi dici, tamen in quibus dixi me non recordari.

Et dixi et confessus fui me audivisse dici per bene plus quam a XX creditibus secte hereticorum, de quorum nominibus dixi me non recordari, quod quidam homo de Valle Danie qui erat monoculus, ad domum cuius Iacobus Auterii hereticus, tempore quo exivit Murum, fugit et se, ut dicitur, abscondit, decessit apud Tarasconem in domo Bernardi Ceravelli fabri, et fuit hereticatus (et dixi me nescire per quem hereticum). Et est sepultus in cimiterio ecclesie Beati Michaelis de Tarascone, et de hoc poterat sciri veritas cum dicto Bernardo Ceravelli et eius uxore.

Item dixi me audivisse dici a Bernardo Tornerii quondam de Taraschone quod IIIIor anni vel circa sunt elapsi quod Petrus Ramundi nepos Guillelmi Bayardi de Taraschone fuit infirmus sic quod de eius vita desperabatur, et ipse Guillelmus Bayardi misit Philippum de Laenato (prout michi dixti dictus Bernardus Tornerii) domicellum nepotem suum ad domum dicti Bernardi Tornerii, ubi erat absconditus Guillelmus Auterii. Et ipse Philippus de die exivit domum dicti Bernardi una cum dicto Guilelmo Auterii, et per lissas murorum Taraschonis adduxit ad domum dicti Guillelmi Bayuardi (*En marge : Contra Bayardi*), ut dictus Bernardus Tonrnerii michi dixit, ubi dictus puer iacebat in lecto. – Fui interrogatus si tunc audivi dici si dictus puer fuit hereticatus, et dixi quod non, quia paulo post convaluit, et ipse Guillelmus Auterii recessit a dicta domo. Tamen, ut audivi dici a dicto Bernardo, stegtit ibi per III vel IIIIor dies.

Item fui interrogatus si vidi alibi hereticos vel si sciebam plura *F° 47 v°* alia de facto heresis, et dixi quod non quod recordarer. Tamen si recordarer me aliquid aliud in facto heresis deliquesce vel vidisse alios peccasse, salve quod non petrerem periurium venirem ad confitendum ea et revelandum inquisitoribus ut cicius possem.

Hec deposui et dixi anno et loco predictis, videlicet in camera magistri Iacobi de Poloniacho custodis Muri Carcassone, anno Domini M° CCC° VIII°, IIII° nonas augusti, coram Fratre Iohanne de Falgosio predicto tenente locum dicti domini inquisitoris, in presentia et testimonio Fratris Poncii de Turrellis, Fratris Poncii de Massilia, Fratris Guillelmi Radulffi ordinis Fratrum Predicatorum, magistri Iacobi de Poloniacho predicti, magisgtri Bartholomei de Arlato custodis Muri Tholose, et magistri Guillelmi Ramundi de Alayraco, canonici Sancti Effrodesii Biterris, notarii publici officii Inquisitionis, qui predictis interfuit et de mandato predicti locum tenentis recepit.

Que omnia singula supradicta per me Petrum de Galhaco predictum confessata et manu mea scripta in presenti libro, constitutus in iudicio coram dicto domino inquistore et in loco predicto recognosco et confiteor esse vera et nullam continere falsitatem in toto vel in parte, prout ea deposui et confessus fui coram predicto locum tenente dicti domini inquisitoris, nunc de novo ea depono et confiteor coram predicto domino inquisitore, prout superius continentur et sunt scripta, et ea ratifico, aprobo et confirmo, et assero ita vera esse, protestans et dicens me paratum et petens admitti quod si aliqua pretermisi de hiis que in crimine predicto comisi, vel per alium vel alios invenirentur contra me deposita, possim

me denuo confiteri tota dicto domino inquisitori vel tenenti locum eius, cum nichil omiserim ex certa scientia de quibus recorder. Dico etiam et protesto ac confiteor quod ea que superius prout scripta sunt et confessata ac deposita coram dicto locum tenente confiteor et dico non vi tormentorum nec subornatus seu circumventus vel deceptus ab aliquo, nec amore vel timore alicuius, prece, precio vel odio aliorum, ymmo gratis et ex certa scientia et mera animi libralitate et motu divino et divina gratia spirante, nolens plus seu ulterius in predicto peccato seu errore persistere, sed ad bonum statum et confessionem predictorum venire et in ipsa persistere prout superius scripta est._

Anno Domini M° CCC° octavo et decimo kls novembris Petrus de Galhaco predictus, constitutus in iudicio coram religioso viro Gaufrido de Ablusiis inquiitio predicto in dicta domo Inquisitionis Civitatis Carcassone, in loco predicto vocato Audiencia, predictam eius confessionem manu sua scripta legit de verbo ad verbum prout continetur et scripta est superius per eundem, in presentia mei Guillelmi Ramundi notarii officii Inquisitionis et testium subscriptorum ad hoc specialiter vocatorum, et iuratus ad sancta Dei Evangelia dixit, confessus est et recognovit omnia et singula que in sua predicta confessione continentur et que nunc confessus est de novo coram dicto domino Inquisitore esse vera et nullam continere falsitatem, in toto vel in parte, et ea ratificavit, approbavit et confirmavit, et in eis dixit se velle stare et perseverare. Et fuit protestatus quod si de pluribus recordaretur vel plura invenirentur contra ipsum super dicto crimine per confessiones aliquorum vel aliter, quod cum vocatus fuerit per dictum dominum inquisitorem vel eius locum tenentes, quod de predictis sine preiudicio et pena perjurii possit confiteri. Quam protestationem dictus dominus inquisitor benigne recepit et admisit.

Et dictus Petrus de Galhacho, ad declarationem sue confessionis predicte, interrogatus per dictum dominum inquisitorem, dixit se audivisse errores hereticorum de quibus supra in confessione sua depositis, non una die, sed diversis temporibus, nec una vice tantum, sed pluribus et a diversis hereticis et credentibus eorumdem.

Item dixit quod ubi fit mentio in dicta confessione sua quod vidit alia vice Guillelmum F° 48 r° (LVII) Auterii hereticum, vidit eum, ut dixit, apud Tarasconem in domo Guillelmi de Rodesio dicti loci.

Acta fuerunt hec anno, die et loco predictis coram dicto domino inquisitore, in presentia et testimonio Fratrum Iohannis de Felgosio, Geraldii de Blumaco, Iohannis Stgephani, Gerardi Parisiensis, Arnaldi Raterii ordinis Fratrum Predicotorum, domini Petri Radulphi rectoris Ecclesie de Maloleone Appamiensis dyocesis, magistrorum Iaocbi de Poloniaco rectoris Ecclesie de Caunetis Carcassonensis dyocesis, magistri Peri Boerii notarii Inquisitionis, et mei Guillelmi Ramundi de Alayraco canonici Sancti Affrodisii Biterris, auctoritate Sedis apostolice publici officii Inquisitionis notarii, qui hiis interfui et de mandato dicti domini inquisitoris ea recepi et scripsi.

Iuravit et abiuravit omnem heresim et fuit reconciliatus.

Postque anno quo supra IX^o kls novembris Petrus de Galhaco predictus, constitutus in iudicio coram dicto domino inquisitore in domo Inquisitionis Civitatis Carcassone, presentibus me notario et testibus infrascriptis, dictam suam confessionem manu sua scriptam dictam suam confessionem^a legit de verbo ad verbum intelligibiliter in vulgari prout scripta est superius per eundem, et recognovit omnia et singula in ea contenta esse vera et nullam, ut dixit, continente falsitatem, et ea tanquam vera approbavit, confirmavit et ratificavit et in eis dixit se velle stare et perseverare;

Et fuit interrogatus per dictum dominum inquisitorem ubi nunc possent heretici facilius inveniri, et dixit quod apud Carol in domo den Berto, et supra dictam domum in quodam villario in domo sororis Guillemi Moratoris. Item in Avelaneto in Mirapicencio in domo sororis Guillelmi de Area de Querio. In aliis locis sicut in dicta sua confessione continetur.

Acta fuerunt hec anno, die et loco predictis coram predicto domino inquisitore, in presencia et testimonio Fratrum videlicet Stephani Laurelli prioris Fratrum Predicotorum Carcassone, Iohannis de Felgosio, Geraldi de Blumaco, Guillelmi de Solaro, Iohannis Stephani ordinis supradicti, nobilis viri domini Iohannis de Atleto^b militis domini Regis senscalli, domini Mayoloi Rebutini, Legum professoris, domini Petri Radulphi rectoris Ecclesie de Maloleone Appamiensis dyocesis, magistri Iacobi de Poloniacho rectoris Ecclesie de Caunetis Carcassonensis dyocesis, magistrorum Petri Vitalis et Petri Guila iurisperitorum, Petri Boerii notarii publici officii Inquisitionis, qui predictis interfui et de mandato dicti domini inquisitoris ea scripsi et recepi.

F° 48 v° Anno Domini M° CCC° IX°, die veneris que intitulatur XIII kls madii ego Petrus de Galhaco notarius Tarasconis constitutus in iudicio in Civitate Carcassone in domo Inquisitionis coram religioso viro domino Fratre Gaufrido de Ablusiis ordinis Predicotorum, inquisitore heretice pravitatis in regno Francie a Sede apostolica deputato, iuratus ad sancta Dei Evangelia dicere veritatem de me ut principalis et de aliis vivis et mortuis ut testis, interrogatus per dictum dominum inquisitorem dixi et deposui et confessus fui addendo confessioni iam diu est ante facte coram dicto domino inquisitore, cum modo de pluribus recolam et memoriam habeam a tempore citra confessionis predicte, quod et de quibus tempore dicte confessionis memoriam non habebam :

Quod IIIIor anni vel circa sunt elapsi quod ego vidi in domo patris mei semel, bis vel ter, ut michi videtur de tempore, Guillelmum Auterii, Iacobum Auterii, Petrum Auterii et Pradas Tavernerii hereticos in quadam camera, diversi modo tamen et diversis temporibus dicti anni, stantes ibi quandoque per duos dies, quandoque per V et amplius, et quod Galharda mater mea parabat eis victualia tam de suo proprio quam de alieno.

- Interrogatus si tunc vidi quod aliquis vel aliqua videret ipsos, dixi quod sic, videlicet Guillelma uxor Ramundi Cot, Blanca uxor Guillelmi de Anhauso, Ermengardis mater Poncii Cicredi, Guillelmus Carramatii et Guillelma eius uxor, Guillelmus de Rodesio, Arnaldus Martini et Guillelmus eius frater, et plures alii de quibus ad presens non recordor.

a. Suppr.: dictam suam confessionem.- b. Corr.: Arleto.-

- Interrogatus si vidi quod aliquis ipsorum qui eos viderunt dederit eis aliquid, dixi quod non.

- Interrogatus si vidi quod aliquis de predictis ibi vel alibi dictos herticos adhoraret, dixi quod non, excepto quod in dicta domo parterna Otho de Belestas de Taraschone adhoravit Petrum Auterii hereticum.

- Interrogatus si vidi aliquem de dictis hereticis alibi, dixi quod sic, videlicet in domo Sebilie den Balle de Ax Guillelmum et Petrum Auterii hereticos.

- Interrogatus si tunc vel aliquo tempore adhoravi vel reverentiam feci alicui de dictis hereticis, dixi quod non, sed quod quando veniebam ad eos abstrahebam capucium et osculabar eos in ore.

- Interrogatus si alibi vidi aliquem de dictis hereticis, dixi quod non de quo recordar, tamen videtur michi, sed non plene recordor, quod in domo Guillelmi de Area et in domo Bernardi Cervelli de Tarascone viderim aliquos de dictis hereticis, tamen quando recordabor veniam ad plenam confessionem.

- Interrogatus si unquam habui colloquium vel tractatum cum aliquo de facto heresis, dixi quod sic, cum Thomasa uxore Petri de Anhauso, et cum ipso Petro de Anhauso, qui dixit michi pluries, quando videbat aliquos Fratres Predicatores vel Minores vel presbiteros transeuntes Tarasconem, dicebat ipse Petrus de Anhauso michi et circumstantibus, de quibus non recordor : "Ecce videte illos, *mal creyre lor faria l'arma, que per aula cavilha pingaria*". – Item dixi quod de facto heresis habui pluries colloquium cum Guillelma uxore Ramundi Cot predicta, cum Sclarmunda uxore Bernardi de Anhauso, Ramundo Sabaterii de Lordato et cum pluribus aliis de quibus ad presens non recordor.

Item dixi et confessus fui quod tempore proximo mensis augusti erunt III vel IIII annos elapsi quod domina Galharda mater mea infirmabatur in domo sua apud Tarasconem, et quod tempore infirmitatis Guillelmus de Area de Querio adduxit ad quandam domum patris mei que est iuxta aliam domum, carreria in medio, Guillelmum Auterii hereticum, qui stetit ibi per II vel III dies. Quibus elapsis, quadam die, hora vesperarum, dicta mater mea traxit ad finem, et in camera ubi iacebat eramus ego et Alissendis mater dicte F° 49 r° (LVIII) matris mee et Sclarmunda uxor Ramundi Auterii et plures alii habitantes de villa Tarasconis de quibus non recordor. Et tunc dicta Sclarmunda dixit michi in aure : "Petre, faciatis tantum quod iste gentes exeant de camera ista, quia faciemus id quod scitis". Et ego incontinenti dixi mulieribus et hominibus qui ibi erant : "Domini, exeamus extra, quia magnus calor viget, et facimus tedium matri mee". Et incontinenti exivi una cum ipsis ad aulam igneam, et intus remanserunt tantum dicta Alissendis et Sclarmunda, et cluserunt a parte interiori ostium camere. Postmodum, ut ipsa Sclarmunda dixit michi, eadem Sclarmunda per quasdam trabes et postes transivit ad aliam domum predictam ubi erat Guillelmus Auterii hereticus, et ipsa Sclarmunda expoliavit capam et guarnacham suam et eam fecit induere dicto heretico, et dictus hereticus, indutus dictis raubis, transivit ad cameram predictam, et ibi, ut dicta Alamanda dixit michi, hereticavit dictam matrem meam.

Item dixi quod hoc facto dictus Guillelmus Auterii in crepusculo exivit dictam domum et intravit domum Guillelmi de Rodesio, et ego ivi ad eum una cum dicta Sclarmunda, et petii ab ipso heretico quid fecerat matri mee, que iam defuncta erat, et ipse respondit michi quod bonam finem, et quod in eorum secta decesserat.

Item fui interrogatus per dictum dominum inquisitorem si aliquis unquam induxerat me ad falsum deponendum in negotio Inquisitionis, et respondi quod sic.-

Interrogatus quis, dixit quod Petrus de Anhauso de Taraschone venit ad me ad plateam Taraschonis prima die proxime transacte cadragesime In comedionibus, et dixit michi si volebam ludere ad scacos. Et ego respondi sibi quod sic, et cum fuimus in medio platee vel quasi, ipse Petrus dixit michi : "Magister Petre, quare id quod iam diu est michi dixistis, non dicitis inquisitori, et quod confitemini de eo ?" Et ego respondi sibi quid erat illud, quia ego nesciebam. Et ipse dixit michi : "Quod dicatis quod Bernardus Tornerii quondam de Taraschone adduxit hereticos ad domum Guillelmi Bayardi, tempore quod Iordanus de Ravato eius gener infirmabatur". Et ego respondi sibi : "Quomodo ego dicerem hoc, quando verum non fuit, et tempore dicte infirmitatis ego eram in Catalonia ?" – "Bene, dixit ipse, est verum quod ibi eratis. Ergo, dixit ipse, illud fuit quando Perus Ramundi de Ravato filius dicti Iordani, erat infirmus ?" – "Certe, dixi ipse, ita parum fuit verum, tempore isto ego eram Tholose et audiebam Decretales" – "Bone vir, dixit ipse, non faciatis vim in hoc, faciatis factum vestrum". Grossomodo per dictum dixi : "Ego in negocio Inquisitionis non dicam aliquid nisi verum sit". Et omissis istis verbis lusimus ad scacos.

Post hoc fui interrogatus per dictum dominum inquisitorem si predicta verba unquam dixeram dicto Petro de Anhauso vel si fuerunt vera. Dixi quod non dixi verba predicta, sed si fuerunt vera, dixi prout in confessione mea deposui. Dixi etiam quod dictus Petrus de Anhauso dixit michi quod si hoc facerem, ipse et Andreas de Anhauso et Bernardus Petri de Lorda facerent michi quicquid vellem, per quod intellexi quod ipsi providerent michi in expensis et necessariis itineris in eundo et redeundo Carcassonam.

Item dixi quod eadem die, ora quasi completarium, Guillelmus de Rodsio dixit michi si Petrus de Anhauso fuerat mecum locutus, et ego dixi quod sic, et ipse Guillelmus dixit michi de quibus michi^a verbis fuerat michi locutus, et ego respondi quod de talibus que vera non erant, quod ego scirem, et quod ego non dicerem.. Et ipse Guillelmus dixit michi : "Si potestis facere id quod ipse Petrus vult faciatis...", et incontinenti dictus Guillelmus recessit a me, et non plus michi dixit.

Item dixi ad declaratiuonem confessionis mee me audivisse dici a III vel circa credentibus secgte hereticorum quod quidam hereticus iuvenis et qui non erat notus in terra, et qui ibat de die palam per terram, hereticavit Iordanum de Rabato apud Ravatum, et quod Arnaldus Martini de Ugenaco *F° 49 v°* procuravit adventum dicti heretici et receptionem predictam.

Item dixi quod dum dicti heretici erant in domo paterna, quod Petrus de Galhaco pater meus et Bernardus frater meus viderunt plures dictos hereticos et eorum predicationes et sermones audiverunt. Item Ramunda et Alissendis sorores mee viderunt dictos hereticos in dicta domo. Tamen erant puelle, et nulla ipsarum erat etatis IX annorum. Et vidi quod predicti qui predictos hereticos viderunt in dicta domo, de quibus superius facta est mentio, quandoque audiverunt eorum predicationes, et hoc vidi plures.

Dixi etiam quod audivi dici a credentibus secte hereticorum de quibus non recordor quod Ramunda den R. B. que morabatur in barrio castri Tgarasconis fuit hereticata in fine suo, nescio tamen per quem hereticum.

Que omnia et singula suprascripta per me et dictata assero esse vera prout superius continentur et continere plenariam veritatem, et me omnia et singula sponte et ex certa scientia me confessum fuisse, omni seductione, subornatione et omni violentia et terrore

a. *Suppr.*: michi.-

tormentorum et omni precio, prece, amore vel odio omnino cessantibus et remotis, et omni citatione cessante quantum ad presentem additionem per me scriptam, perseverans et perseverare perpetuo volens in confessione et additione predictis, renuncians omnibus exceptionibus et deffensionibus quibus contra predicta venire possem, et paratus tamen tantum quod possim de me et de aliis plenius deponere et addere cum plenius fuerit recordatus sine pena perjurii. Quam protestationem dictus dominus inquisitor admisit ex benignitate officii sui.

Anno Domini M° CCC° nono, die veneris que intitulatur XIII kls madii, Petrus de Galhacho notarius de Tarascone predictus, constitutus in iudicio in domo Inquisitionis in Civitate Carcassone coram religioso viro Fratre Gaufrido de Ablusiis ordinis Predicorum, inquisitore heretice pravitatis in regno Francie per Sedem apostolicam deputato, iuravit ad sancta Dei Evangelia dicere super facto heresis tam de se quam de aliis vivis et mortuis plenariam veritatem,

Dixit et confessus est ac deposituit prout in dicta sua confessione seu additione sua propria manu scripta plenius continetur, quam ibidem presentibus me notario et testibus infrascriptis legit de verbo ad verbum prout superius scripta est, et omnia et singula in dicta confessione seu additione contenta dixit et asseruit esse vera et sponte ac libere et ex certa scientia confessum fuisse, omni seductione, subornatione et omni violentia tormentorum, et omni prece, precio, amore vel odio omnino cessantibus et remotis, renuncians omnibus exceptionibus et deffensionibus quibus contra predicta venire posset, seu aliquid predictorum, et dixit se velle stare et perseverare perpetuo in confessione seu additione predicta, protestans quod posset de se et de aliis plenius deponere et addere, cum plenius fuerit recordatus, prout in sua dicta confessione seu additione plenius continetur, quam protestationem dominus inquisitor admisit ex benignitate officii sui.

Acta fuerunt hec anno, die et loco predictis, presentibus domino Frisco Ricomanni Legum professore, domino Arnaldo Salvatoris canonico Ecclesie Carcassone, Fratribus Iohanne de Falgosio, Geraldo de Blumaco, Iohanne Stephani ordinis Predicorum, magistris Guilhelmo de Locis iurisperito, Iacobo de Poloniacho, rectore Ecclesie de Caunetis dyocesis Carcassonensis, testibus ad premissa vocatis et rogatis, et ego Petrus Boerii de Carcassona, publicus notarius Regia et Imperiali auctoritate et officii Inquisitionis notarius, predictis interfui et ea recepi, scripsi et signo meo signavi.

F° 50 r° (LIX) Post hec anno quo supra, die mercurii infra octabas Ascensionis Domini comparuit Petrus de Galhaco predictus coram religioso viro Fratre Iohanne de Felgosio ordinis Predicorum, tenente locum et vices gerente dicti domini inquisitoris, et dixit et confessus fuit, iuratus ad sancta Dei Evangelia, et constitutus in iudicio coram ipso:

Quod hoc anno in proxima transacta quadragesima, ipse qui loquitur et Guillelmus Tron (*En marge* : Contra G. Tron) notarius Tarasconis, quadam die de qua dixit se non recordari, veniebant de assisia de Eliato, et quando fuerunt quasi in medio itineris veniendo apud Tarasconem, et cum loquerentur de negotio Inquisitgionis, ipse Guillelmus Tron dixit ipsi qui loquitur quod leviter et sine magna et longa retentione confitebangtur ipse qui loquitur et alii qui capti fuerant in Muro, de quo male faciebant.

Item dixit ipse qui loquitur quod ipse Guillelmus Tron dixit sibi quod cum ipse Guillelmus Tron studebat Tholose, IIII vel circa sunt elapsi, ipse Guillelmus morabatur in camera cum quodam clero cuius nomen non recordatur ipse qui loquitur se intellexisse, ut dixit, qui audiebant Nsturas Tholose, et dixit ipsi qui loquitur quod ille clericus dixerat sibi pluries quod ipse et quasi omnes Naturales Tholose et Parisius tenebant quod impossibile erat et etiam contra naturam quod de pane fieret corpus Christi etiam per verba sancta, et quod ipse Guillelmus Tron quasi acquiescebat illi rationi.

Item dixit ipse qui loquitur quod dictus Guillelmus Tron dixit sibi quod tempore infirmitatis Guillelme uxoris Bertrandi Mercerii de Tarascone, uxor Bertholomei den Huges de Tarascone, soror ipsius Guilllemi Tron, dixit dicto Guilelmo Tron quod duo homines quos credebat esse hereticos exiverunt de nocte de domo Bertrandi Mercerii, et transierunt una cum Philippo de Larnato ante hospicium dicte mulieris sororis dicti Guillemi Tron, et intraverunt domum Bernardi Ceravelli fabri de Tarascone.

Postque anno quo supra, die sabbati in festo sanctorum Cosme et Damiani intitulata quinto kls octobris, comparuit coram dicto inquisitore in domo Inquisitionis in Civitate Carcassone prefatus Petrus de Galhacho, qui in iudicio constitutus coram inquisitore prefato ibidem recitata fuerunt ea que coram Fratre Iohanne de Felgosio confessus fuerat et deposuerat anno presenti die mercurii infra octabas Ascensionis Domini, que omnia sub virtute prestiti iuramenti asseruit esse vera et ea de novo depositus et confessus fuit, asserens predicta nullam falsitatem in toto vel in parte continere.

Consequenter dictus dominus Petrus, addens confessioni et additionibus predictis, cum de novo de infrascriptis recordedetur, ut dixit, dixit, confessus^a et depositus super quadam visione Guillelmi Auterii heretici facta in domo Guilllemi de Rodesio de qua supra deposuerat, quod tempore dicte visionis et in ea fuerunt presentes ibidem Esclarmoda^b uxor Ramundi Auterii de Ax, Ramunda filia quondam Ramundi Lombardi uxor nunc dicti Petri, Ramundus Iotclarii de Tarascone, Sebelia uxor quondam Ramundi Sutrani, et non alii de quibus recordetur, et credit quod illa visio fuerit illa nocte qua mater ipsius qui loquitur decessit.

- Interrogatus quomodo sciebat quod dictus hereticus esset ibi, dixit quod Guillelmus de Carramato de Tarascone dixit sibi, et quod signanter ivit ipse qui loquitur ad dictum hereticum visitandum ibidem.- Ingterrogatus si ibidem fuit facta predicatio, adoratio vel reverencia aliqua, respondit se non recordari.

-Interrogatus quid intellexit et quid sciebat quod deberet fieri de matre sua predicta quando Esclarmonda amita sua dixit ei qui loquitur : "Faciatis gentes exire et faciemus quod scitis", dixit et respondit quod dicta Esclarmonda, ante per unam diem vel circa,

a. *Add*e : fuit- b. *Corr.*: Esclarmonda.-

dixerat sibi quod ipsa procuraverat adventum dicti heretici, ad hoc ut dicta mater sua hereticaretur per eum (*En marge* : De hereticatione matris sui) et quod per eius auditum inellexerat dictam hereticationem fieri tunc.-

- Interrogatus quid intellexit quando dictus Guillelmus Auterii hereticus dixit ipsi quod mater sua fecerat bonum finem, dixit quod intellexit quod hereticata decessisset, quia talis est intentio et modus loquendi inter hereticos et eorum credentes, quod quando aliquis recipitur in sectam eorum, dicunt ipsum deffunctum bonum finem fecisse, ut dixit.

- Interrogatus si credit vel credit quod dictus hereticus et mulieres predicte dixerunt sibi verum de receptione et fine predictis, videlicet quod mater sua fuit recepta et hereticata sicut predictus hereticus et mulieres predicte sibi dixerunt, sicut dixit, dixit et respondit quod quando predicta verba sibi fuerunt dicta, credit tunc, nunc non credit, quia tunc credebat verbis *F° 50 v°* heretici, nunc non credit, ut dixit.

- Interrogatus quare fecit gentes exire sicut dixit ei Esclarmonda predicta, ut fieret predicta hereticatio, et quare non impedivit fiendam quam fiendam intellexit per verba Esclarmonde predicte, dixit pro eo quia dicta Esclarmonda diu ante, quasi per unam diem, rogaverat dictum Petrum qui loquitur quod non turbaret nec impediret dictam hereticationem quam facienda esse dicebat, et quam modo factam esse non credit, nisi prout depositus.

Interrogatus si in ipsis que nunc et alias confessus est vult perseverare et stare, respondit quod sic et nunquam contravenire.

Acta fuerunt hec et dixit et confessus fuit anno, die et loco predictis, presentibus Fratribus Iohanne de Felgosio, Bernardo de Malastico, Bernardo Bricii, Ramundo de Ruppe, Petri Ramundi Autal, Iohanne Stephani, Poncio Garini ordinis Fratrum Predicotorum, magistro Iacobo de Poloniacho rectore Ecclesie de Caunetis dyocesis Carcassonensis et custode Muri Carcassone, testibus ad premissa vocatis et rogatis, et ego Petrus Boerii de Carcassona, auctoritate Regia et Imperiali et officii Inquisitionis notarius predictus interfui et ea recepi et scripsi.

IACOBUS GARSENDIS

F° 51 r° (LX) In nomine Domini Amen. Anno eiusdem M° CCC° octavo, septimo
klis februarii Iacobus Garsendis, filius quondam Ramundi Garsendis de Ax in Savartesio
Appamiensis dyocesis, veniens non citatus nec vocatus, sed gratis et sponte, constitutus in
iudicio in domo Inquisitionis in Civitate Carcassone coram religioso viro Fratre Gaufrido
de Ablusiis ordinis Predicatorum, inquisitore heretice pravitatis in regno Francie per
Sedem apostolicam deputato, iuratus ad sancta Dei Evangelia super facto heresis dicere
puram et plenam veritatem de se ut principalis et aliis vivis et mortuis sicut testis, et nullam
immiscere falsitatem amore, favore, prece, precio, gratia, odio vel timore, dixit et
confessus est gratis et sponte ac libere quod :

Cum esset etatis octo annorum vel circa, deffunctus Ramundus Garsendis pater
suus tenebat Guillelmum, Petrum, Iacobum Auterii, Andream de Pradis, Poncium de Ax
filium Sebelie den Balle et quendam alium nomine Ramundum, cuius cognomen et unde
erat ignorat, hereticos, in domo in qua morabatur apud Ax in Savartesio predictus pater
suus, et quod fuerunt et quod fuerunt^a per duos vel plures dies antequam pater suus
predictus ficeret sibi mentionem de dictis hereticis et antequam videret eos vel loqueretur
cum eis in domo predicta.

Et post duos vel plures dies pater suus predictus dixit ipsi qui loquitur quod nemini
revelaret quod predicti heretici essent vel fuissent in domo predicta, et quod nemini faceret
mentionem de facto eorum, sed teneret secretum, et quod erant de illis qui appellantur
heretici, et quod propter hoc persequabantur eos Fratres Predicatores inquisitores.

Dixit etiam et confessus est quod pater suus dicebat ei qui loquitur quod illi non
erant heretici sed boni christiani, et quod tenebant bonam fidem, et quod per solam fidem
eorum et non aliam poterat homo salvari. Et tunc instructus et induitus per patrem suum
predictum vidit (*En marge : Visio*) dictos sex hereticos in domo predicta.

- Interrogatus quid fecit cum eis et si multo tempore steterunt tunc in domo
predicta, et si aliisque alie persone, et que, viderunt dictos hereticos eo tempore quod fuerunt
ibidem, dixit et confessus est quod dicti sex heretici fuerunt ibi bene per mensem et
amplius, continue, et quod instructus et edoctus per dictos hereticos pluribus vicibus et tot
quod de numero non recordatur, fecit et faciebat melioramentum coram dictis hereticis (*En
marge : Adoratio*)

a. *Suplpr.*: et quod fuerant.-

- Interrogatus de modo quo faciebat melioramentum, respondit et confessus est quod heretici predicti docuerunt eum quod ipse debebat flectere genua sua ter, et dicere ter : "Bonni christiani, benedictionem Dei et vestram a vobis peto, benedicite", ter, et sic fecit et faciebat coram ipsis hereticis ipse qui loquitur, sicut dixit et confessus est, et heretici respondebant in tertia benedictione vel in tertia genuflectione : "Deus vos perducat ad bonum finem".- Interrogatus de tempore, dixit quod X anni erunt in quadagesima proxime ventura, ut sibi videtur.

Item dixit et confessus est quod audivit dictos hereticos multociens tempore et loco predictis comendantes fidem, sectam et vitam suam, et dicentes quod tenebant bonam et veram fidem, et quod per eam solam poterat homo salvari, et quod ipsi poterant salvare animas, et nulli alii nisi illi de secta sua, (*En marge* : *Predicationes*) et quod ipsi et illi qui sunt de secta et fide sua sunt Ecclesia Dei, et quod ieunant tribus diebus in septimana in pane et aqua et aliis diebus in cibo quadragesimali, et quod nunquam comedunt carnes, ova vel caseum, et quod peccatum erat comedere predicta, scilicet ova, carnes et caseum.

Item dixit et confessus est quod audivit dictos hereticos plures loquentes contra Ecclesiam romanam et clerum, et dicentes omne malum quod poterant de ea, et quod erat Ecclesia malarum gentium (*En marge* : *Errores*), et quod nichil quod facit Ecclesia romana valet ad salvationem animarum, et quod matrimonium carnale nichil *F° 51 v°* valet, et quod est ita magnum peccatum iacere cum uxore sua sicut cum meretrice, et quod hostia consecrata per sacerdotem non est corpus Christi, sed panis tantum.

Dixit etiam et confessus est quod predictos hereticos, tempore et loco predictis, viderunt et visitaverunt Bernardus et Guillelmus Gomberti fratres, Arnaldus Auterii filius Petri Auterii, Bernardus Baiuli filius Sebelie den Balle, Sebelia den Balle predicta, Aladaycis uxor Petri Auterii, Galharda den Benet uxor Guillelmi Auterii, Guillamona soror ipsius qui loquitur, Esclarmonda uxor Ramundi Auterii, Ramunda Garsendis mater ipsius qui loquitur, Ermessendis soror, Ramundus Garsendis pater ipsius qui loquitur, Vesiada uxor quondam Petri Mathei, Arnaldus Mathei (*En marge* : *Contra Arnaldum Mathei*), Petrus Mathei et Guillelmus Mathei fratres filii predicti P. Mathei, mater Guillelmi et Bernardi Gomberti predictorum, omnes predicti de Ax. Et Guillelmus Petri, Martinus Francisci, Petrus Monerii, Arnaldus frater Guillelmi Petri de Limoso. Et quedam mulier nomine Pagesia, nescit tamen unde erat, ut dixit ipse qui loquitur.

Dixit etiam et confessus est quod omnes prenominati viderunt^a visitaverunt predictos hereticos, non tamen simul, sed diversis vicibus, loco et tempore supradictis.

Dixit etiam et confessus est quod ipso qui loquitur vidente et presente, prenominati omnes et singuli loco et tempore supradictis fecerunt melioramentum coram dictis hereticis modo supradicto, exceptis Bernardo et Guillelmo Gomberti fratribus, Arnaldo Auterii filio Petri Auterii, Bernardo Baiuli, Petro Mathei, Guilelmo Mathei, qui omnes proxime exceptati non fecerunt melioramentum quod ipse viderit. Tamen omnes predicti et singuli superius scripti audierunt, ipso qui loquitur presente et audiente, loco et tempore predictis monitiones et predicationes suprascriptas a^b hereticis memoratis.

a. *Addee* : et.- b *Corr.*: ab.-

Item dixit et confessus est quod quadam estate, non tamen recolit quantum temporis est, sed videtur sibi quod fuerit estate inmediate sequente post dictam quadragesimam, vedit (*En marge* : Visio) Guilllemu Auterii et Andream de Pradas hereticos supradictos apud Ax in domo Sebelie den Balle, et ibi sedendo iuxta ignem audivit monitiones et verba dictorum hereticorum (*En marge* : Pred.) comendancium fidem, sectam et vitam suam, et loquencium contra Ecclesiam romanam et fidem romane Ecclesie sicut suprascriptum est; et quod erant presentes Sebelia den Balle et Bernardus filius eius predicti, et ipse qui loquitur, vocatus per dictam Sebeliam, que dixit ipsi qui loquitur, dum iret per carreriam spaciatum, quod ibi erant heretici supradicti, et quod intraret ad videndum eos. Et nichil aliud fuit ibi factum quod viderit, sicut dixit, quod recordetur, tamen credit melius quod fecerint melioramentum predicti qui presentes erant quod non.

Item dixit et confessus est quod circa quadragesimam inmediate sequentem quando ipse qui loquitur iam erat firmatus et allocatus, et morans in domo Guillelmi Mathei filii Vesiade, uxoris quondam Peri Mathei, pro addiscenda arte sutoria a dicto Guillelmo Mathei, ipse qui loquitur vedit Petrum et Iacobum Auterii hereticos suprascriptos pluribus vicibus, de die et de nocte, de quorum numero non recordatur ad plenum, in domo dicti Guillelmi Mathei. Et fuerunt ibi presentes et viderunt et visitaverunt dictos hereticos G. Petri, Montoliva uxor Martini Francisci de Limoso et Pagesia predicta, et Bernardus Gomberti et Guilllemus Gomberti fratres, Vesiada uxor quondam Petri Mathei, Guilllemus Mathei, Arnaldus Mathei, Pericol Mathei et ipse qui loquitur, loquentes contra fidem Ecclesie romane et de fide et secta sua sicut supra dictum est, et multa alia per que et ut audientes diligenter eos et habefent affectionem ad fidem eorum. Et nichil aliud fuit factum in domo illa quod recordetur.

Item dixit et confessus fuit quod VII annos fuerunt circa festum Assumptionis Beate Marie in augusto quod pater suus Ramundus infirmabatur ea infirmitate de qua obiit in hospitali Sancte Susanne ad tres leucas de Ax et ad tres leucas de Podio Ceritano, ubi ipse pater predictus remanserat infirmus, rediens de Podio Ceritano. Et cum ipse qui loquitur ivisset ad visitandum eum, predictus pater suus sentiens se debilitari misit ipsum qui loquitur apud Ax ad Guillelmum Gomberti, ut procuraret et adduceret (*En marge* : Nuncius fuit) hereticos ad ipsum...

Deest folio

PETRUS DE LUZENACHO LOQUITUR

F° 52 r° (LXI-LXII) In nomine Domini Amen. Anno Eiusdem Millesimo CCC° octavo, quarto kls decembris, religiosus vir Frater Gaufridus de Ablsiis ordinis Fratrum Predicotorum, inquisitor heretice pravitatis in regno Francie per Sedem apostolicam deputatus, me Petro Boerii infrascripto presente in hospicio Inquisitionis Civitatis Carcassone, mandavit et precepit Arnaldo Assaliti clero et Geraldo Mauberti iuratis suis quod accedant ad Petrum de Lusenacho clericum de Lusenacho, qui, ut intellexerat idem inquisitor, erat in Civitate Carcassone, et eundem ex parte sua precise et peremptorie citarent ut eadem die compareret coram eo et super facto heresis diceret veritatem. Qui Arnaldus et Geraldus iurati predicti retulerunt dicto inquisitore, presente me notario suprascripto, se citasse predictum Petrum de Lusenacho personaliter inventum ex parte inquisitoris prefati iuxta formam mandati superius sibi facti.

Qua citatione facta Petrus de Lusenacho predictus comparuit coram inquisitore prefato in hospitio Inquisitionis predicto. Conquenter cum hora tarda esset, prefatus inquisitor assignavit sibi diem crastinam infra primam quod coram eo in domo Inquisitionis Civitatis Carcassone compareret super facto heresis, dicturum tam de se quam de aliis vivis et mortuis plenariam veritatem, recepto prius ab eodem iuramento ad sancta Dei Evangelia quod puram et plenam diceret de facto heresis veritatem, et nullam in predictis immisceret falsitatem gratia, amore, favore, prece, precio vel timore cuiusquam.

Quibus die crastina, hora et loco prefato, Petro de Lusenacho comparente ac in iudicio constitutus coram inquisitore prefato, iuratus ad sancta Dei Evangelia ut supra, dixit et confessus est de facto heresis prout in quadam papiri cedula manu suascripta, ut dixit, plenius continetur. Quam cedulam dictus Petrus legit de verbo ad verbum ibidem coram dicto inquisitore, in iudicio constitutus, et coram testibus infrascriptis, cuius cedula tenor talis est :

"Petens misericordiam et non iudicium, confiteor ego Petrus de Lusenacho, dicens quod cum essem etatis XIIIII annorum vel circa apud Ax in domo Petri Auterii de Ax, dictus Petrus Auterii dixit michi : "Petre, tu scis quid est bonum vel malum ?" Respondi sic. "Scis qualiter anime salvantur ?" Respondi : "Faciendo bona opera et obediendo Deo". Dixit ipse : "Nichil est. Scias, Petre, quod nulle gentes salvantur in mundo, nisi illi qui vocantur heretici". Respondi : "Non credo nec credam, quia multa mala audivi de ipsis." – "Bene crederes si scires eorum conversationem". Respondi : "Nolo scire" – "Bene scies et credes cum ego locutus fuero tecum plene, et redite ad me aliqua dierum et explanabo tibi plenius".

Hec verba suprascripta revelavi post paucum tempus domino Petro Pelliperii presbitero de Unaco pedagogo meo, qui dixit michi quod nullatenus crederem ei. Quod hoc feci.

Postea per aliquod tempus idem Petrus Auterii recessit a Savartesio cum Guillermo fratre suo, et, ut dicebatur, pro facto heresis. Postea per aliquum tempus satis per quadriennum a tempore recessus ipsorum vel circa, fama fuit in terra quod ipsi revenerant et quod erant heretici. Postea per multum tempus, cum essem Tholose in Studio et venirem de spaciando cum Guillermo Pelliperii de Castroverduno, in loco vocato Matabou, obviavi Petro Auterii, quem postea scivi ipsum esse, tunc tamen non bene cognovi eum, sed dubitavi ipsum esse. Et ibat cum eo quidam quem tunc non novi, sed postea scivi ipsum esse Petrum Sancii de Garda.

Et idem Petrus Auterii respexit me in facie, sed non dixit verbum. Dieque crastina vel postcrastina, idem Perus Sancii venit ad me in domo quo morabar iuxa puteum de Cathena, et revelavit michi nomen suum, et dedit michi tres capones. Et inter plurima verba que mecum habuit super contentionibus quas habebat cum fratribus suis, revelavit michi quod Petrus Auterii de Ax et Guillermus frater eius erant in Tholosa, et, si michi placeret, quod vellent mecum loqui multum. Et dixit michi quod erant de illis gentibus qui vocantur heretici. Respondi me nolle eos videre nisi converterentur ad romanam fidem. Et per totam illam yemem et ver, idem Petrus Sancii sepe venit ad me, et plura encennia michi obtulit, tam in caponibus quam in edis, et similiter plura servivi ei, tam in patrocinio in Curia Regis quam in comedionibus quas sibi dabam in camera mea. Et sepe voluit mecum de fide catholica disputare, sed non permittebam, ymmo dicebam ei quod non erat licitum michi in privato nec in publico disputare de fide catholica.

Et in estate repateravi^a et in autumpno reveni Tholosam et permansi apud Basaclum ante Balnea vetera in domo Arnaldi de Vendinas per totum annum usque ad festum beati Iohannis. Et tunc cum omnes socii recessissent et remansisset ibi solus, exivi hospitium, et locavi dictum hospitium Ramundo Sartori oriundo de Sorese, ut dicebat. Postea per aliquos dies cum ego reveni ad dictum hospitium, et^b inveni in aula predictum Petrum Auterii (*En marge* : Visio), qui me salutavit et me amplexatus fuit. Et peti ab eo si erat hereticus, et ipse respondebat quod non, sed erat bonus christianus, et credebat fidem catholicam. Et petiit plura de patria mea et de multis quesivit de terra. Finaliter invitavit me ad prandium, quod sibi, multum deprecatus, annui, et exivi hospitium. Et hora prandii reveni et secum prandi^c (*En marge* : Comedit) de bono salmone et de turturibus, una cum Martino Francisci et Guillermo Petri de Limoso et cum duobus aliis qui erant de Tholosa, de quorum nominibus non recordor, nisi quod senior vocabatur Ramundus Dominici, ut michi videtur de cognomine, et cum Petro Sancii et cum Ramundo Sartoris et eius uxore.

Non tamen audivi ab eo aliqua verba que saperent heresim, nisi hoc tantum quod quando ego feci signum crucis super mensam, cum incepi comedere ipse dixit : "Signate partem vestrum et non aliorum". Hoc tamen dixit ridendo, nec ipse signavit mensam, sed accepit unum frustrum panis et dixit desuper Pater noster, ut michi visum fuit, et fregit et dedit de pane illo. Tamen ego non comedи de illo quod scirem. Post prandium ipse recessit cum Petro Sancii cum quadam furca ferrea in collo, nullaque alia verba fidem tangentia tunc secum habui nec ipse mecum, sed dixit michi in recessu quod mitteret michi in brevi quendam librum in quo erant plurima bona verba, et ibi cognoscerem rectam fidem. Quem librum adhuc non vidi. Dixit etiam michi quod si necessaria erat michi pecunia, quod Petrus Sancii traderet michi usque ad X libras vel XX Turonenses.

a. Sic : repartivi ? .- b. Suppr. et.- c. Sic : pransi.-.

Postque eodem anno in tempore vendemiarum vidi predictum Petrum Auterii et Guillelmum fratrem et Iacobum eius filium et Pradas Tavernerii et Amelium de Perlis, qui omnes erant heretici, ut dicebatur, et ut ego credebam (*En marge* : Visio plurium hereticorum simul) apud Limosum in domo Martini Frances, et accepi ab eis inter omnes novem libras, quas dederunt michi in adiutorium illius pecunie quam debebam tunc Tholose propter condempnationem quauam passus fueram illo etate in Curia domini episcopi Tholosani (*En marge* : Recepit ab hereticis).

Et tunc ipsi heretici plurima verba contra fidem michi dixerunt secundum sectam eorum, que verba longum esset scribere, nec recordor de omnibus verbis (*En marge* : Pred.), tamen eis non credidi nec credo, sed eis contradicebam. Sed ipsi ridebant de contradictione mea et movebant capita. Et unus eorum dixit quod facerem melioramentum coram ipsis, id est flecterem genua coram ipsis ut ipsi faciebant inter se, quod nolui facere, quia dixi me nescire facere, quia verebar eos propter pecuniam quam michi dederant.

Tunc tamen non comedи cum eis, sed cum hospite et eius uxore, nec iacui in hospitio illo, sed extra in albergaria ubi habebam mulum meum. Et rogaverunt me quando recessi ab eis ut in brevi revenirem ad eos apud Limosum, quod eis annui, sed non attendi nec postea recordor me eos vidiisse.

Credo firmiter sanctam fidem catholicam quam tenet et predicit sancta romana Ecclesia et sicut continetur in simbolo Quicumque vult et in simbolo Apostolorum Credo in Deum, et omnes articulos fidei et singulos, et VII sacramenta Ecclesie sicut sacrosancta romana Ecclesia, et ipsa Sedes apostolica predicit et edocet, et hoc semper credidi postquam habui discretionem, nec unquam in corde meo in aliquo deviavi.

Item tunc apud Limosum in domo predicti Martini Frances, non recordor si Petrus Auterii vel Guillelmus loquutus fuit de factura mundi, et dixit mundum non fuisse factum per Omnipotentem sed per dyabolum. – Item loquutus est de matrimonio, et dixit quod vir et uxor cohabitando simul non poterant salvari, et hoc nitebantur probare per Scripturam, non tamen recordor de argumentis quia non multum adverti, sed contradixi, et ipsi habebant me pro fatuo. Et sunt vel fuerunt de ista visione, ut michi videtur, IIIIor anni vel circa vendemias proxime nuper preteritis".

F° 53 r° (LXIII) Et ibidem anno et die quo supra dictus Petrus de Lusenacho abiuravit omnem heresim, fautoriam, deffensionem, receptionem, commendationem secte, vite et fidei, conventionem et omnem aliam participationem heresis et hereticorum quocumque nomine censeantur. Iuravit autem tenere et servare fidem catholicam quam sacrosancta mater Ecclesia tenet, docet et predicit, et quod hereticos, eorum credentes, fautores, deffensores, receptatores et amicos eorum per se et per alios persequatur; investigabit, capiet et ad inquisitorum potestatem adducet et reddet seu adduci et reddi secundum posse suum per se et alios procurabit.

Iuravit insuper stare et parere mandatis Ecclesie et inquisitorum, et omnem penitentiam, penam, satisfactionem vel omnes quas et quod ipsi inquisitores vel eorum in officio successores seu alter eorum eidem Petro in persona propria vel in bonis ipsius, tam in vita quam in morte, duxerint imponendum, faciet et complebit, et ex nunc seipsum et bona sua ipsis inquisitoribus obligavit et esse ex nunc voluit obligata, acsi penitentia, pena, satisfactio sua omnes essent eidem Petro in persona vel in bonis per ipsos inquisidores imposta vel iniuncta.

Hec dixit, depositus et confessus est predictus Petrus de Lusenacho die et loco predictis coram inquisitore prefato, presentibus Fratribus Iohanne de Felgosio, Guillelmo de Solaro, Iohanne Stephani, magistris Petro Radulphi rectore Ecclesie de Maloleone Appamiensis dyocesis, Iacobo de Poloniacho rectore Ecclesie de Caunetis dyocesis Carcassonensis et custode Muri immuratorum pro heresi Carcassone, Bartholomeo Adalberti notario Carcassone et iurato officii Inquisitionis, testibus ad premissa vocatis et rogatis, et ego Petrus Boerii de Carcassona clericus, publicus Regia et Imperiali auctoritate et officii Inquisitionis notarius predictus omnibus et singulis una cum dictis testibus interfui anno, die et loco predictis, et ea sic scripsi et recepi et signo meo solito signavi.

Quibus sic peractis, prefatus inquisitor dixit ibidem et protestatus est, me notario et testibus suprascriptis presentibus, quod non reputabat dictum Petrum de Lusenacho ibidem presentem et audientem plene confessus, cum sibi constaret, ut dixit, eundem Petrum plura alia scire de facto heresis, sed ad confitendum et dicendum plenus veritatem de facto heresis, tam de se quam de aliis vivis et mortuis, assignavit sibi diem, videlicet a die lune proxima que erit IIIIor nonas decembris in XV dies peremptorie in domo Inquisitionis predicta. Voluit autem dictus inquisitor et concessit de gratia speciali eidem Petro quod si die sibi assignata vel infra confiteretur plenariam veritatem in facto heresis, eidem Pegtro pena periurii nullatenus imputaretur.

Qua die lune dicto Pero peremptorie assignata, dictus Petrus non comparuit, nec pro se sufficienter misit, licet per dictum inquisitorem diutius fuerit expectatus. Fuit tamen post dictam diem lune per capellanum de Commucio differentem clausas dicti Petri litteras excusatus.

Postque prefatus inquisitor fecit citare Petrum predictum ad diem veneris intitulatam XVI kls februarii per suas litteras ad dicendum de facto heresis veritatem ut supra. Qua die veneris in predictis litteris citatoriis comprehensa dictus Petrus comparuit coram inquisitore predicto in domo Inquisitionis Civitatis Carcassone, et tunc fuit continuata dies ad idem dominicam inmediate sequentem intitulatam XIII kls februarii ad id quod supra.

F° 53 v° Qua die dominica Petrus predictus coram prefato inquisitore comparens et in iudicio constitutus, asserens se plenus recordatus, adiciens sue prefate confessioni tradidit quandam papiri cedulam in qua idem Petrus dixit et confessus est prout in dicta papiri cedula manu sua scripta, ut ipse dixit, plenus continetur. Tenor autem cedula supradicte talis est :

"Postque plenus recordatus eodem anno XIIIIor kls februarii, ego Petrus de Luzenacho confiteor et de novo recordor quod postquam vidi hereticum Petrum Auterii Tholose ut confessus fui, eodem anno in autumpno, quadam nocte, cum ego recederem a villa Taraschone solus et vellem ire apud Ugenachum, et esset nox atra, cum essem extra villam Taraschonis audivi venire retro me loquendo duos homines. Et ne me cognoscerent quia ibam solus, recessi a via, et steti iuxta quandam parietem, et dicti homines viderunt me. Et unus eorum dixit : "Quis est ibi ?" et abstraxit gladium, et ego abstraxiensem quem portabam, et respiciens vidi quod esset Geraldus de Rodesio de Taraschone, et ipse similiter recognovit me, et reduximus gladios in vaginis. Et ipse dixit michi : "Vadatis tecum, quia avunculus meus Petrus Auterii vellet loqui vobiscum". – "Et ubi, dixi ego, inveniremus eum ?" – "Ego, dixit ipse, ostendam vobis, quia desiderat vos videre, ut michi dixit". - "Vadamus ergo, dixi ego", et duxit me apud Querium, et venimus ad quoddam casale iuxta ruppem castri quod erat Petri de Area de Querio, et ille alias qui erat cum dicto Geraldo aperuit ianuam, et intravimus cortile casalis.

Et posgtea intravimus quandam domum a parte sinistra, quam aperuit ille idem qui aperuerat ianuam casalis, cuius nomen ignorat, sed erat indutus bruno, et morabatur pro nuncio cum dicto Geraldo et fratribus suis, ut idem Gefraldus dixit michi tunc. Et ego nolebam quod ille nuncius cognosceret me nec videret me cum lumine

Et postea intravimus ego et Geraldus quandam cameram, et ille nuncius remisit extra cameram, et clauso hostio ipse Geraldus dixit : "Ubi estis ?" et respondit Petrus Auterii : "Hic", et surrexit a lecto ubi iacebat, et accedit quendam crosollum, et amplexatus fuit nos et obtime recollegit. Et erat ibi in lecto, ut michi videtur, Iacobus filius eius. Et dixit nobis idem Petrus Auterii si volebamus potare, quia ibi erat vinum in quadam durna, et potavimus de illo vino ego et Geraldus.

Postea ego traxi ad partem dictum Petrum Auterii et dixi sibi si posset michi accommodare aliquam pecuniam, quia valde erant michi necessaria propter expensas quas anno predicto feceram Tholose. Et ipse respondit quod loqueretur cum sociis suis in brevi, et responderet michi de predictis. Et ego dixi ei ubi invenirem eum, et ipse dixit quod apud Larnatum vel apud Taraschonem. Et postea loquutus fuit cum dicto Geraldo per aliam pausam ad partem. Et postea accepto comeato, ipso Pero Auterii dicente : "Dominus dirigat gressus vestros et perducat ad bonum finem", recessimus apud Taraschonem et iacuimus simul ego et dictus Geraldus in domo dicti Geraldii, ut michi videtur, et mane recessi apud Ugenachum.

Postea per paucum tempus reveni apud Taaschonem et inveni ibidem predictum Geraldum, et petii ab eo ubi erat avunculus suus Petrus Auterii, et dixit michi quod erat, ut credebat, apud Larnatum in domo Arnaldi Eyssaura, et : *F0 54 r° (LXIII) "Si vultis ire, ego dicam eidem Arnaldo Eyssaura, qui est in villa, ut ducat vos ibi et ostendat vobis".- "Dicate ergo ei, dixi ego, quia forte vadam in sero".*

Postea ipse Geraldus loquutus fuit, ut credo, cum dicto Arnaldo Eyssaura, qui venit ad me post pausam in platea de Taraschone, et dixit michi si volebam ire apud Larnatum. Et dixit sibi quod sic, et in vesperis recessimus apud Larnatum ego et ipse et quendam filium^a eius quem vocabat Guillelnum, qui ducebat quendam mulum. Et cum fuimus apud Boannum, clamavit quidam de Boanno qui vocatur Guilloelmus Bouantz ut eum spectaremus, quod et fecimus, et loquutus fuit per magnam pausam cum dicto Arnaldo Eyssaura et filio suo. Postea petii a dicto Arnaldo quid sibi dixerat ille homo. "Certe, dixit ipse, volebat venire nobiscum videre dominum Petrum Auterii, sed timet quod displiceret vobis, et veniet cras cum vos recesseritis, et portabit ei de melle suo, ut dixit".

Ivimusque apud Larnatum, et intravimus quendam sotulum dicti Aranldi, et erat ibi Petrus Auterii et Iacobus filius eius, et ibi habuimus plurima verba inter nos, et ostenderunt michi quendam librum valde pulcrum et cum optima littera Bononiensi, et perobtime illuminatum de adhurio et minione, ubi erant Evangelia in romancio et Epistole beati Pauli, ut sibi^b dixerunt. Et legit de Evangelio per magnam pausam Iacobus predictus, audiente me et dicto Arnaldo Eyssaura, et ego dixi eis quod non placebat michi quia erat in romancio, quia prediligebam quod legeret in latino.

Et tunc rogavit me dictus Iacobus quod emerem ei quando redirem Tholose unam bibliam completam, si invenirem de comuni precio usque ad XX libras vel circa, et de eodem rogaverat me dictus Petrus Auterii apud Tholosam quando vidi eum Tholose, et dixi eis quod libenter facerem, et quod traderent michi pecuniam. Et ipsi dixerunt quod Tholose habebant pecuniam illam et plus in domo domini Uzalguier campsoris, et quod Petrus Sancii faceret michi tradi. Et tunc dixi eis quod non credebam de toto illo anno redire

a. Corr.: quidam filius.- b. Corr.: michi.-

Tholose, quia fueram ibi captus, sed intendebam ire in Montepessulano vel Ilerde ad studiendum, et si in recessu mitterent michi pecuniam, quod ego mitterem dictam bibliam de Montepessulano ubi inveniuntur satis.

Item rogavi eos tunc ut accommodarent michi saltem usque ad X libras, quia habebam libros meos impignoratos Tholose ad usurarios, et Petrus Auterii respondit michi quod adhuc non fuerant locuti cum Guillelmo fratre suo, qui erat apud Limosum, et tunc loquerentur cum eis, et quod tunc cum scirem eos ivisse Limosum, venirem ad eos ad domum Martini Francisci de Limoso, quia ibi habebant pecunias suas, et tunc responderent michi vel de mutuo vel dono. Et tunc eis promisi quod irem si scirem quando essent ibi, et ipse dixit michi quod non poterant adhuc certam diem^a : "Sed si vultis venire ad nos in septimana sequenti apud Taraschonem, tunc vobis diceremus diem certam quando invenietis nos Limosi. Et inveniretis nos in Taraschone in domo Piquerii piscatoris, et cum veneritis proiiciatis unu lapillum in tecto domus, et nos aperiemus vobis hostium, et poteritis intrare".

Post que verba et plura alia de quibus non recordor, exivimus sotulum ego et dictus Arnaldus, et cenavimus de carnis bovinis et porcinis in domo foganha cum tota familia hospicij, scilicet cum uxore, filia et tribus filiis dicti Arnaldi quorum maior vocabatur Guillelmus. Uxor vero, filie et duorum filiorum minorum nomina ignoro.

Post cenam autem cum fessus essem quia veneram pedes et ascenderam costam, ibi cubitum in quodam solario et iacui solus, et mane ante diem ego recessi apud Luzenachum.

Postea in septimana sequenti redii apud Taraschonem ad forum seu mercatum, et cenavi F° 54 v° in domo Petri de Galhaco qui me invitaverat ad cenam, et post cenam exivi hospicium. Et erat nox atra, et fui ad domum Piquerii piscatoris, et proieci unum lapillum in tecto domus. Et postea per aliquam pausam aperuit michi unum hostium Iacobus Auterii, et fui loquutus secum, et petii ab eo quando invenirem eos Limosi, si irem ad eos. "Veniat, dixit ipse, apud Limosum in sequenti septimana", et tunc dedit mihi unum pilleum sircum quem portaverat, ut dixit michi, quod cum essem apud Limosum daret forte michi encennia pulchiora. Postea recessi ab ipsis et redii cubitum in dicta domo Petri de Galhaco cum Rubeo filio suo^b dicti Petri de Galhaco.

Postea in sequenti septimana fui Appamiis ad vendemias, et^c Appamiis ivi Limosum ubi inveni eos, ut supra confessus fui, in domo Martini Francisci.

Hec confiteor et dico propter et salvo quod si amplius recordaverim amplius confitebor. Sed modo amplius non recordor".

Hec deposit et confessus fuit Petrus predictus in iudicio constitutus in domo Inquisitionis Civitatis Carcassone coram dicto domino inquisitore anno et die predictis, videlicet anno Domini M° CCC° VIII°, die dominica intitulata XIII°n kls februarii, et requisitus fuit per dictum inquisitorem sub virtute prestiti iuramenti si vidit, audavit verba, monitiones et predicationes hereticorum, associavit, duxit, receptavit per se vel per alium hereticos supradictos vel alios, vel eisdem reverenciam exhibuit, comedit vel bibit cum eis, seu hereticationibus seu receptionibus alicuius persone sane vel infirme in secta hereticorum interfuit, et aliam vel alteram participationem seu familiaritatem habuit cum hereticis quam superius sit expressum et confessatum per eum. Respondit et confessus est quod quando comedit cum eis, audavit quod omnes qui erant in mensa vel maior pars dicebant : "Benedicite" (*En marge* : In mensa dixit Bened.) et ipsem dixit "Benedicite" sicut alii qui erant in mensa.

a. *Adde* : dicere. - b. *Suppr.* : suo.- c. *Adde* : de.-

Item dixit et confessus est quod pluries osculatus fuit dictos hereticos et ipsi eum quando veniebat ad eos et quando recedebat (*En marge* : Osculatus fuit hereticos) nec aliam participationem habuit cum eis quod recordetur".

Acta fuerunt hec anno, die et loco predictis coram dicto inquisitore, in presentia et testimonio religiosorum virorum Fratrum Iohannis de Felgosio, Geraldii de Blumaco, Iohannis Stephani ordinis Fratrum Predicatorum, magistri Iacobi de Poloniacho rectoris Ecclesie de Caunetis dyocesis Carcassonensis, et mei Bartholomei Adalberti de Carcassona publici auctoritate Regis et Imperiali et officii Inquisitionis iurati predictis omnibus cum testibus interfui anno, die et loco predictis, et ea hic scripsi et recepi et signo meo solito signavi.

Deest folio.

F° 55 r° (LXVI) ... "dedit michi unum cultellum pulcrum de Parma quem abstraxit de quodam cassidulo, et ascendi per quandam scalam in solarium, et in domo foganha inveni Guilllelmum Bernardi fratrem meum loquentem cum Blanca uxore dicti Guillelmi de Rodesio, et exivimus simul hospitium ego et dictus frater meus. Et in porta invenimus predictum Guilllelmum de Rodesio, qui petivit a nobis unde exiebamus, et diximus sibi quod potaveramus cum uxore sua de vino suo. Hospitium autem illud in quo tunc morabatur dictus Guilllelmus de Rodesio fuit Ramundi Lombardi de Tarascone, et est adhuc heredum eius, ut credo, sed modo nullus ibi stat, ut credo. De hac autem visione possunt esse novem anni vel decem vel circa in vere presenti, ut michi videtur.

Postque eodem anno, ut michi videtur, fui apud Ax circa festum sancti Iohannis Baptiste, et veni ad domum dicti Ramundi Auterii, et misi ibi stabulo animal quod ducebam, et pransus fui ibi cum dicto Ramundo et eius uxore, et quibusdam extraneis qui erant ibi. Et in vesperis quando volui recedere a villa apud Luzenachum et volebam recedere a domo illa, Esclarmunda uxor dicti Ramundi Auterii signavit michi cum manu quod intrarem sotulum qui est iuxta stabulum, et intravi dictum sotulum et inveni ibi Petrum Auterii et Guilllelmum Auterii et Iacobum qui eis serviebat (*En marge* : Visio). Non tamen credo quod esset hereticatus adhuc, aliter nescio. Et salutavi eos (*En marge* : Salut.) et ipsi me, et petierunt qualiter erat michi, et dixi quod bene, et si audiveram nova de Tholosa, diu est, et dixi quod non. Et tunc rogaverunt me si possem eis procurare aliquem locum vel hospitium in Lordadesio ubi possent hospitari per unam diem saltem, quia quando ibant de Ax ad Tarasconem in una nocte, quandoque non bene sufficebat eis nox, maxime in brevibus noctibus estatis. Et dixi eis quod bene procurarem si possem, et quod facerem posse meum, quia habebam recedere et erat tarde. Et tunc valefaciens rceessi ab eis et veni ad domum nostram apud Luzenachum.

Postque illo eodem anno circa finem augusti, ut michi videtur, cu essem apud Ax in platea, dictus Ramundus Auterii dixit michi ad partem quod Guilllelmus frater suus volebat mecum loqui si placebat michi : "Et ubi est ?" dixi ego.- "In loco est, dixit ipse, ubi vos forte nolletis eum videre, sed exeatis nocte ista extra villam iuxta columbarium Philippi Barre, et ibi ipse exibit loquutum vobiscum" – "Placet michi", dixi ego.:

Et in nocte post crepusculum exivi solus villam de Ax versus dictum columbarium, et cum aliquantulum ibi spectassem, vidi in pallore noctis venire tres homines. Et cum fuerunt iuxta me usque ad dimidium iactus lapilli, duo eorum remanserunt quando ego sibilavi aliquantulum, et unus venit ad me, scilicet Guillelmus Auterii hereticus, et salutavit me, et loqui fuimus simul (*En marge* : Visio, colloq.), et rogavit me instanter quod prestarem patrocinium Petro Merenguesii de Ax in quadam causa terminali que ducebatur contra ipsum in Curia Comitis Fuxi, quod sibi concessi.

Item dixit michi si postea^a curaveram de hoc de quo me rogaverat in sotulo Ramundi Auterii, scilicet de hospicio ubi possent recipi. Et dixi sibi quod non, sed si nccesse erat, quod ego facerem eos recollegi in domo mulieris que vocatur Palaresa apud Luzenachum, in quadam parva domo in qua morabatur. "Sed nullus, dixi ego, veniat vobiscum ibi". - "Grates, domine, dixit ipse, Deus reddat vobis bonam mercedem. Cum erit opus ergo faciemus vobis sciri". Postea recessit versus duos homines quos dimiserat, qui eum spectabant, ut credo, aliter non sum bene certus, quod unus illorum hominum qui secum venerant erat dictus Petrus Merengues, pro eo quia de ipso rogavit me dictus hereticus. Postea post eos a longe intravi villam, nec vidi ubi ipsi intraverunt. Consilium autem seu patrocinium ut promiseram non prestavi dicto Petro Merengues, quia audivi dici quod ipsem se pacificaverat cum dicta Curia.

Item eodem anno circa festum beati Michaelis septembbris apud Ax dixit michi dictus Ramundus Auterii quod Petrus Auterii frater eius rogabat me quod exirem ad eum apud pontem de Perlis tali nocte, de qua non recordor de qua dixit, et ego dixi quod bene facerem. Postea in die precedente noctem illam ego dixi apud Luzenachum predicte Palharese : "Non vadas cubitum, dixi ego, donec veniam in hac nocte, quia adducam hic duos homines, quos volo hic stare secrete, et quod nullus veniens scit eos hic, et servias eis ut melius poteris, quia statim in sequenti nocte recedent". – "Non, dixit ipsa, non stare ibi sola cumn hominibus extraneis nisi vos essetis cum eis, quia si forte me invaderent, non esset bonum" – "Ne timeas, dixi ego, quia non loquentur tibi de hoc nec etiam tangent te" – "Ergo, dixit ipsa, vos videatis" – "Tace ergo, dixi ego, inveniamus ignem incensum quando veniemus".

Postea in crepusculo ivi solus, accepto ense meo, apud pontem de Perlis, et cum diuicius ibi spectassem, venerunt IIIor homines, et tres transiverunt pontem, et unus remansit ultra pontem, et illi tres venerunt ad me, quorum unus erat Ramundus Auterii, et alter Petrus Auterii $F^{\circ} 55 v^{\circ}$ et alias Iacobus Auterii eius filius, qui tunc credo quod erat factus hereticus de novo, aliter non vere scio. Et dictus Ramundus rediit incontinenti apud Ax, et ego et dicti heretici venerunt apud Luzenachum in domo predicte Palhareze, et clauso hostio calefecimus nos ibi ad ignem per unam pausam. Postea ipsi heretici fecerunt sibi lectum et iverunt cubitum, et ego recessi ad domum nostram. Et mane circa primam redii ad eos et pransi fuimus de trochis recentibus, quas ipsi portaverant de Ax. Dicta autem Palhareza non comedit nobiscum, sed exiit in quadam mingano domus.

Et in principio mense dictus Petrus Auterii accepit usque ad dimidiad placentam, et stans pedes, tenendo dictum panem cum manutergiis que posuerat in collo suo, incepit dicere desuper Pater noster, et postea fuit loquitus suaviter inter dentes per unam pausam (*En marge* : ...signandi mensam). Postea fregit panem cum cutello suo et posuit in mensa coram se primo et coram quolibet nostrum, et dixit tunc michi quod hoc vocabant ipsi panem orationis sancte. Quando autem dictus Iacobus qui tunc serviebat et ponebat comediones in mensa ponebat paropsides coram nobis vel coram se, semper dicebat : "Benedicite", et

a. Corr.: postea si.-

quando deponebat similiter, et quando incipiebat comedere similiter, et quando volebat bibere similiter. Quilibet eorum et quicumque nostrum habuit in mensa sua manutergia que ipsi portabant in cassidulis suis.

Et tunc post prandium dixit michi Petrus Auterii quod consuetudo erat apud eos quod postquam aliquis amicus eorum eos viderat ter vel quater, quod faceret suum melioramentum coram eis. "Et quid est illud ?" dixi ego – "Recipere, dixit ipse, benedictionem a christianis, qui ita est consuetudo apud nos". - "Et qualiter fit ?" dixi ego. – "Flectendo genua, dixit ipse, et dicendo ter : Benedicite". - "Bene, dixi ego, faciam forte alibi, sed hic non, quia illa mulier que est extra videret nos per aliquod foramen, et hoc faciam aliqua nocte quando nullus poterit nos videre".

Et tunc tradidit michi dictus Iacobus unum quaternum in quo erat quedam expositio dominice orationis in latino, sed non erat ibi aliquid contra fidem. Postea exivi domum, et ipsi dixerunt quod dormirent, quia in nocte habebant pernoctare.

Postea in nocte post cenam ego redii ad eos et inveni eos paratos ad eundum, et exivimus domum et villam, et conviavi eos usque ad pontem de Alvers, et ibi cum inciperet pluere, intravimus quoddam molendinum desertum quod est ibi, et tunc dixit michi Petrus Auterii : "Modo, dixit ipse, esset tempus de hoc quod vobis diximus heri". – "Placet ergo, dixi ego, faciam quod vultis". Et tunc feci ibi primo predictum affolamentum, flectendo genua coram ipsis et dicendo ter : "Benedicite", et ipsi respondebant ut supra dixi. Et post paululum venerunt quidam qui sibilaverunt extra molendinum, et tunc dicti heretici exiverunt molendinum et loqui fuerunt cum ipsis. Et postea rediit Petrus Auterii ad me et dixit : "Ad Deum sitis, cum redibimus apud Ax, faciamus vobis sciri". Et tunc recesserunt cum illis qui venerant, quos non vidi, nec scio si erat unus vel duo. Et postea ego redii solus apud domum nostrum.

Postea eodem anno, circa festum Omnium sanctorum, ante festum, ut michi videtur, quadam die de qua non recordor, venit apud Luzenachum Guillelmus filius Arnaldi Eschaura de Larnato, et pettit me et invenit me in platea iuxta pinum, et dixit michi ad partem quod Petrus Auterii salutabat me et rogabat me quod in nocte sequenti venirem ad eum in capite pontis Castriverduni, et ibi invenirem eum et Iacobum eius filium. "Bene faciam", dixi ego. Postea dictus Guillelmus ivit apud Ax, ut michi videtur.

Postea nocte sequenti, cum instaret nox atra et sine luna et iter est longum bene per unam bonam leucham, dixi Luzenacho fratri meo maiori : "Vade, dixi ego, tecum unum parum". – "Libenter", dixit ipse, et ivimus simul usque ad predictum pontem Castriverduni.

Et ibi in capite pontis versus Olos invenimus Petrum Auterii et Iacobum eius filium et duo alii^a qui recesserunt quando audiverunt nos venire, quos non cognovi, nec scivi qui erant. Venimus illa nocte ego et dicti heretici et dictus frater meus apud Luzenachum ad domum predicte Palhareze (non tamen scivit ipsa tunc quod essent heretici, ymo dixi sibi quod erant quidam fayziti de Tholosano), et intraverunt ipsi domum et ego et Luzenachus predictus recessimus ad domum nostram et ivimus cubitum.

Postea fuerunt ibi per unam diemp vel per duos, et ibam ego visitare eos ad minus semel in die. Postea recesserunt quadam nocte, et ego conviavi eos solus usque ad pontem de Perlis, et ibi invenerunt alios qui eos receperunt, quos non cognovi, nec ipsi me quod ego scifrem, nec appropinquabamus nos per unum iectum lapilli.

a. Corr.: duos alios.-

Illoque anno ego vacavi a Studio, sed frater meus Guillelmus-Bernardi ivit tunc in festo beati Luce apud Tholosam ad studium, et ego remansi in terra nostra, quia nimis gravaretur hospicium nostrum in expensis si ambo studeremus tunc. Ego, quia utebar iam officio advocationis in Curia domini Comitis quandoque ..."
